



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [1] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [2] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [3] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [4] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [5] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [6] - -

PUBLIC DOMAIN

[Hethum 2 von Korikos]

HAITHONI ARMENI

HISTORIA ORI-ENTALIS:

Qvæ eadem & De Tartaris inscribitur.

ANNO

cIↃ. IↃc. LXXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [7] - -
PUBLIC DOMAIN

HAITHONI ARMENI

HISTORIA ORI-
ENTALIS:

Qvæ eadem & De TARTARIS
inscribitur.

ANNO
M. Ic. LXXI.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [8] - -

PUBLIC DOMAIN

NICOLAI SALCONI
De HAITHONO ARMENO Teſtimonium, qvod ille verſioni ſuæ Latinæ Præfationis loco præmiſit.

HÆ ſunt hiſtoriæ partium Orientis, à religioſo Viro, Fratre Haythono, Domino Curchi, conſanguineo Regis Armeniæ, compilatæ. Qvas ego Nicolaus Salconi ex mandato ſummi Pontificis, Domini Clementis Papæ qvinti, in civitate Pictavenſi primò ſcripſi in Gallico idiomate, ſicut idem Frater Haythonus mihi ore dictabat, abſq; nota, ſine aliqvo exemplari. Et de Gallico tranſtuli in Latinum, Anno M.CCC.VII. menſe Auguſto.

Ejusdem
De hoc labore ſuo ad CLEMENTEM V. Pontificem Rom. Epiſtola.

CLementiſſimo Patri ac Domino, Domino Clementi, Pont. Max. Nicolaus Salconi ſe humiliter commendat. Coram vobis, Clementiſſime Pater, palam fateor, me non eſſe ſcientiæ competentis ad conſulendum tanto negotio, ſicut eſſe dignoſcitur Paſſagium terræ ſanctæ. Veruntamen ne pœnam filii inobedientis incurram, parere me oportet ſanctitatis

)(2 *veſtræ*

Farbkarte #13 B.I.G.
Inches Centimetres
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [9] - -
PUBLIC DOMAIN

vestrâ jussionibus & mandatis, qvibus contraire non licet alicui Christiano. Juxta ergo meam parvam cognitionem fideliter & devotè ea qvæ sentio referabo. Nam suppliciter deprecor insuper & exoro, ut V.S.P. suscipiat benignè ea, qvæ devotio nostra scribit super passagio terræ sanctæ, & in superfluis & omissis limam suæ correctionis apponat. Non enim habuissem audaciam consulendi super tam arduo negotio, nisi de mandato V.S. processisset. Qvæ postqvam ascendit solium pastorale provisione divina, toto mentis affectu assiduè studuit procurare, qvaliter illa sancta civitas Hierosolymitana, Christi cruore respersa, de servitute infidelium eripi valeat, & reduci ad pristinam libertatem: & ob hanc causam reges & principes Christianos in statu pacifico reformatos per gratiam Jesu Christi ad suum concilium revocavit, ut super his consilium fiat præcipuè, & adhortatio pro subsidio terræ sanctæ. Cumq; multis indiciis & veris demonstrationibus ostendatur, qvod omnipotens & misericors Deus velit terram sanctam ab infidelium potentia S.P.V. temporibus liberare, ideo suppliciter exoramus, qvatenus longitudinem dierum felicium illam repleat, qvi potens est Deus in secula seculorum, Amen.

HAI-

HAITHONI ARMENI
HISTORIA ORIENTALIS

Caput I.
De regno Cathay.

REgnum Cathay est maximum, qvod in orbe valeat inveniri, & est repletum gentibus & divitiis infinitis, & in oceani litore habet situm. Tot etiam sunt ibidem maris insulæ, qvod numerus nullatenus potest sciri. Nam nullus penitus invenitur, qvi omnes illas insulas asserat se vidisse. Illæ verò, qvæ calcari possunt, reperiuntur innumerabilibus abundare divitiis & thesauris. Et illud ferè, qvod in illis partibus carius emittitur & habetur, est oleum olivarum: & reges & magnates illud qvasi medicamen præcipuum cum magna diligentia faciunt custodiri. In ipso etiam regno Cathay plura sunt mirabilia monstrosa, qvæ dicere prætermitto. Homines illarum partium sunt sagaciſſimi, & omni calliditate repleti, & ideò in omni arte & scientia vilipendunt omnes alias nationes: & dicunt, qvod ipsi sint soli qvi duobus luminibus respiciunt, Latini verò unô lumine tantùm videant: sed omnes alias nationes asserunt esse cœcas. Et per hoc certissimè demonstratur, qvod omnes alios reputant esse rudes. Et verè tot res mirabiles & diversæ, ac ineffabilis subtilitatis & laboris manuum ex illis partibus deferuntur, qvod non videtur esse aliqvis, qvi in talibus illis se valeat comparare. Omnes illi de illo regno Cathayni vocantur, & juxta nationes suas multi tàm viri qvàm fœminæ pulcherrimæ reperiuntur: tamen omnes communiter parvos habent oculos &

naturaliter barbâ carent. Isti verò Cathayni vaide pulchras habent literas, qvæ Latinis literis in pulchritudine qvodammodò similes sunt. Secta verò illius regni gentium vix posset aliqvo modo enarrari. Qvoniam aliqvi sunt, qvi colunt idola de metallo: alii verò boves adorant, qvia terram laborant, ex qva crescunt frumenta & alia nutritiva. Alii colunt magnas arbores, alii naturalia, alii astronomiam, alii solem colunt, alii verò lunam, alii verò nullam habent fidem vel legem, sed sicut bruta animalia ducunt bestialiter vitam suam. Et licet sint perspicacissimi ingenii ad omnia opera corporalia exercenda, nulla tamen inter eos spiritualium notitia invenitur. Homines illius patriæ non sunt audaces, sed sunt mortis timidi, plus satis qvàm armigeros esse deceat: multum tamen sunt ingeniosi, & magis per mare, qvàm per terram de inimicis suis victoriam reportârunt. Multa habent armorum genera, qvæ non inveniuntur inter alias nationes. Moneta verò, qvæ in illis partibus expenditur, fit de papyro in forma qvadrata, & est regali signo signata, & secundum illud signum illa moneta est majoris pretii vel minoris: & si fortè illa moneta propter vetustatem incipiat devastari, ille verò, qvi illam habuerit, ad regalem curiam deportabit, tunc pro illa dabitur sibi nova. De auro verò & aliis metallis faciunt vasa & alia ornamenta. De isto regno Cathay dicitur, qvòd in principio mundi, qvia est in oriente ab uno capite, & in illa parte nulla est aliarum habitatio gentium, ut refertur. Ex parte occidentis suos habet confines cum regno Tarsæ. Ex parte Septentrionis cum deserto de Belgiam. Ex parte verò meridiei sunt Insulæ maris oceani, de qvibus superiùs est expressum.

CAP. II.

De regno Tarsæ.

In

IN regno Tarsæ sunt tres provinciæ, qvarum dominatores se reges faciunt appellari. Homines illius patriæ nominantur Jogour, semper idola coluerunt & adhuc colunt omnes, præter decem cognationes illorum regum, qvi per demonstrationem stellæ venerunt adorare nativitatem in Bethlehem Judæ. Et adhuc multi magni & nobiles inveniuntur inter Tartaros de cognatione illa, qvi tenent firmiter fidem Christi. Alii verò idololatræ de partibus illis sunt homines nullius valoris in facto armorum. Perspicacissimi tamen sunt ingenii ad omnes artes & scientias addiscendas. Literas habent proprias, & ferè omnes illarum partium habitatores abstinent à carnibus & vino, nec aliqvâ ratione occiderent qvicqvam vivens. Illorum civitates valdè sunt amœnæ, & templa magna habent, in qvibus idola venerantur. Frumenta ibi crescunt abundanter, & alia bona grana: vinô verò carent, & bibere vinum reputant esse peccatum, sicut faciunt Agareni. Istud regnum Tarsæ ex parte orientis suos habet confines cum regno Cathay suprà dicto: ex parte occidentis cum regno Turqvestan: ex parte Septentrionis cum qvodam deserto: ex parte verò meridiei cum qvadam ditissima provincia, qvæ vocatur Sym, qvæ inter regnum Indiæ & regnum Cathay habet situm: & in illa provincia inveniuntur lapides adamantis.

CAP. III.

De regno Turqvestan.

REgnum Turqvestan ex parte orientis suos habet confines cum regno Tarsæ: ex parte occidentis cum regno Coraſminæ: ex parte verò meridiei protenditur usqve ad desertum Indiæ. In isto regno paucæ sunt bonæ civitates. Planities habet latas & bona pabula pro armentis; & ideò habitatores illius patriæ utplurimum sunt pastores, habitantes in tentoriis, & in tali-

talibus domibus qvæ de loco ad locum possunt faciliter deportari. Major civitas illius regni vocatur Ocerra. Parum ibi colligitur de hordeo vel frumento, Vino totaliter carent. Bibunt cerevisiam, & alia poculenta, qvæ congerunt, & lac. Risum & milium comedunt atqve carnes, & vocantur Turchæ, & ferè omnes tenent dogma pessimi Mahumeti: aliqvi verò sunt inter eos, qvi nullam penitùs fidem habent vel legem. Literas non habent proprias, sed utuntur literis Arabicis in civitatibus sine castris.

CAP. IV.

De regno Coraſminorum.

REgnum Coraſminorum est benè munitum bonis civitatibus atqve villis, & multi sunt ibidem habitatores, qvia terra illa est fertilis & amœna; Frumenta & alia bona grana colliguntur ibi in maxima qvantitate: tamen modicum habent vini. Istud regnum suos habet confines cum qvodam deserto, cujus per centum diætas ex tenditur longitudo. Ex parte occidentis usqve ad mare Caspium protenditur: ex parte septentrionis confines habet cum regno Cumaniæ: ex parte meridiei cum regno Turqvestan, superiùs nominato. Major civitas illius regni vocatur Corasme, & Coraſmi homines nominantur. Pagani sunt non habentes literas sive legem. In armis sunt ferociſſimi, qvi vocantur Soldini, & habent propriam lingvam, literas atqve ritum Græcorum, & modo Græcorum conficiunt corpus Christi, & sunt obedientes patriarchæ Antiocheno.

CAP. V.

De regno Cumaniæ.

Regnum

REgnum Cumaniæ est valdè magnum, sed propter aëris intemperiem malè ab hominibus habitatur. Fit in locis aliqvibus hyemali tempore tantum frigus, qvod homines sive animalia non possint vivere ullo modo: in aliqvibus verò locis fit tantus calor in æstate, qvod nemo potest ibi esse per æstum, & etiam propter muscas. Regnum istud Cumaniæ est qvasi totum planum, & in illa planitie non reperiuntur arbores sive ligna, nisi fortè juxta aliqvas civitates, qvæ pomœria qvædam habent. In campis & tentoriis habitant illæ gentes: stercora comburunt animalium loco lingni. Regnum Cumaniæ ex parte confines habet cum regno Corasme, & cum qvodam deserto. Ex parte occidentis est mare majus, & mare detenue: ex parte septentrionis confines cum regno Cassiæ: ex parte meridiei protenditur usqve ad qvoddam flumen magnum, qvod reperitur in urbe, qvæ vocatur Etil. Anno qvolibet congelátur, & qvandoqve per totum annum promanet ita firmiter congelatum, qvod glacies calcatur ab hominibus & animalibus sicut terra. In littore illius fluminis inveniuntur qvædam arbores satis parvæ: ultra verò & ex alia parte illius fluminis sunt gentes habitantes variæ & diversæ, qvæ non computantur de regno Cumaniæ; obediunt tamen regi. Et qvidam sunt qvi habitant circa montem Cocas, qvi mirabiliter est magnus & altus. Astures & aliæ aves rapaces albæ sunt, qvæ in illis montibus oriuntur. Et iste mons residet inter duo maria: qvia ex parte occidentis est mons, ex parte orientis mare Caspium: & istud mare Caspium nullum habet introitum cum mari oceano, sed est sicut lacus; mare tamen propter ipsius magnitudinem appellatur, est enim major lacus qvam reperiatur in orbe: qvia protentitur à dicto monte Caspie usqve ad caput regni Persarum, & dividit totam terram Asiæ in duas partes. Et illa pars qvæ est in parte orientis dicitur Asia profunda: & illa

qvæ eſt in occidente, dicitur Aſia major, & multos retinet bonos piſces. Circa illum montem Caſpium inveniuntur bubali, & alia multa animalia ſylveſtria. Sunt etiam in illis partibus multæ inſulæ, in qvibus aves nidificant, & præcipuè falcones, qvæ Pegrim vulgariter appellantur, & Eſmetliones, & Bonſacci, & multæ aliæ aves naſcuntur ibidem, qvarum nusqvam origo, niſi in illis inſulis invenitur. Major civitas regni Cumaniæ vocatur Sara, qvæ fuit antiqvitùs nobilis & famoſa. Fuit tamen poſtrata, & qvaſi totaliter deſtructa per Tartaros, qvi illam violenter ceperunt, ſicut inferiùs exprimetur.

CAP. VI.

De regno Indiæ.

REgnum Indiæ eſt valdè longum, & ſitum ſuper mare oceani, qvod in illis partibus dicitur mare Indiæ. Iſtud regnum incipit à confinibus regni Perſarum, & extenditur per orientem usqve ad unam provinciam qvæ vocatur Balarem: & in illa provincia reperiuntur lapides pretioſi, qvi Balais appellantur. Ex parte Septentrionis perlongum eſt & magnum deſertum Indiæ, ubi tot ſerpentes, & animalium diverſitates habitantes Imperator Alexander dicitur inveniſſe. In ipſo regno prædicavit beatus Thomas Apoſtolus fidem Chriſti, & multas convertit provincias atqve gentes: ſed qvia diſtant multùm ab illis terris & locis, in qvibus fides colitur Chriſtiana, ibi fides noſtra eſt multùm diminuta, nec eſt ibi niſi qvædam civitas, in qva habitant Chriſtiani: omnes verò alii fidem Chriſti totaliter reliqverunt. Ex parte verò meridiei perlongum eſt mare oceanum, in qvo ſunt multæ inſulæ: ſed homines degentes in illis ſunt nigri, & nudi incedunt totaliter propter æſtum, & colunt idola velut ſtulti. In illis inſulis inveniun-

cm 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [16] - 6
PUBLIC DOMAIN

niuntur lapides pretioſi, margaritæ, & aurum, & multa genera ſpecierum & rerum medicinalium, qvæ conferunt ſæpè hominibus hujus mundi. Ibi etiam eſt qvædam inſula, qvæ vocatur Celan, & in illa reperiuntur lapides, qvi vocantur rubini & ſapphiri: & Rex illius inſulæ habet majorem rubinum & meliorem, qvàm valeat reperiri. Et qvando Rex illius inſulæ debet coronari, lapidem illum manibus ſuis tenet, & ſedens ſuper eqvo circuit civitatem, & ex tunc omnes ſibi obediunt tanqvam Regi. Terra Indiæ eſt qvaſi inſula à deſerto ſuperiùs nominato, & mari oceano circundata, ita qvod vix poſſet aliqvis introire illam terram, niſi ab uno latere tantùm, videlicet ex parte regni Perſarum. Et mercatores, qvi ad illam terram volunt accedere, primò vadunt ad qvandam civitatem, qvæ vocatur Hermes, qvam Hermes Philoſophus fundavit artificialiter, ut præfertur: & exinde tranſeunt per quoddam brachium maris, qvousqve veniunt ad qvandam civitatem, qvæ Combaech nominatur. Et ibi inveniuntur aves, qvæ vocantur Papagai, qvæ ſunt viridi colore: & tanta eſt in illis partibus illarum avium multitudo, qvanta paſſerum in hac terra. In illo portu inveniunt, qvæcunqve venalia mercatores. Et ſi ultra vellent procedere, absqve moleſtia poſſent ire. In illa provincia non habent abundantiam hordei vel frumenti. Comedunt tamen illarum partium habitatores riſum, milium, lac, butyrum, & fructus, qvi multi creſcunt ibidem.

Ceilan

CAP. VII.

De regno Perſarum.

REgnum Perſarum dividitur in duas partes, qvæ dicuntur ſolummodò unum regnum: eò præcipuè, qvod unus ſolus Dominus illarum terrarum ſemper obtinuit principatum. Prima pars Perſarum incipit in Oriente à confinibus regni Tur-

Turqveſtan, & protenditur per occidentem usqve ad magnum fiumen Phiſon, qvod eſt primum inter qvatuor flumina, qvæ fluunt de Paradiſo terreſtri. Et ex parte ſeptentrionis extenditur usqve ad mare Caſpium: ex parte meridiei usqve ad deſertum Indiæ. Provincia illa eſt qvodammodo tota plana: in medio illius duæ ſunt ſitæ magnæ & opulentiſſimæ civitates: qvarum altera vocatur Boctara, altera Seonorgant. Habitatores illarum partium dicuntur Perſæ, & habent propriam lingvam: de mercationibus & terrarum laboribus vivunt: verum de armis ſe non ingerunt, nec de guerra. Antiqvitus colebant idola, & ignem tanqvam Deum præcipuum adorabant. Poſtqvam verò ſecta Mahumeti illarum partium dominium occupavit, effecti ſunt univerſaliter Saraceni, Mahumeti credentes falſiſſimis documentis. Alia verò pars incipit à Phyſon flumine ſupradicto, & extenditur per occidentem usqve ad confines regni Mediæ, & partim majoris Armeniæ. Ex parte verò ſeptentrionis extenditur usqve ab mare Caſpium. Ex parte verò meridiei habet confines cum qvadam provincia regni Mediæ. In illa provincia ſunt duæ maximæ civitates: qvarum una vocatur Neſabor, & alia Sachen: & tamen in ſecta moribusqve ſunt ſimiles aliis ſupradictis.

CAP. VIII.

De regno Medorum.

REgnum Mediæ eſt valdè longum & ſtrictum, ex parte enim orientis incipit â regno Perſarum, & partim cum regno Indiæ majoris, & extenditur per occidentem usqve ad regnum Chaldæorum. Ex parte ſeptentrionis incipit à regno Armeniæ majoris, & extenditur per meridiem usqve ad civitatẽ Aqviſſam, qvæ eſt ſita ſupra mare oceanum: & ibi reperiuntur margaritæ groſſiores, qvæ portantur per orbem. In regno Me-

Mediæ ſunt montes magni, & parvæ planities: & duæ ſunt ibi regiones: & gentes, quæ in una ipſarum habitant, dicuntur Saraceni, & alii vocantur Corduis. Duas habent etiam civitates magnas: una vocatur Soracet, alia Queremon. Legem & ſectam tenent perfidi Mahumetis: literas habent Arabicas, & ad arma ſunt boni ſagitarii, pedites & valentes.

CAP. IX.

De regno Armeniæ.

IN terra Armeniæ ſunt quatuor regna: tamen unus ſolus rex Dominium ſemper occupavit. Longitudo terræ Armeniæ incipit à regno Perſarum, & extenditur per occidentem usque ad regnum Turquiæ. Latitudo terræ Armeniæ incipit à Mirali civitate, quæ dicitur porta ferri, quam Rex Alexander firmavit, propter nationes gentium varias & diverſas, in profundo Aſiæ habitantes, quas nolebat poſſe habere ingreſſum in Aſiam majorem absque ſuo mandato. Et eſt illa civitas ſita in qvodam diſtricto maris Caſpii, & tangit magnum montem Cocas. Latitudo Armeniæ extenditur usque ad regnum Mediæ. In regno Armeniæ ſunt plures magnæ & ditiſſimæ civitates, & civitas Tauriſii eſt famoſior, & plus aliis opulenta. In Armenia ſunt magni montes, latæ planities, & flumina magna, & lacus aquarum dulcium & ſalſarum, in quibus piſcium magna copia invenitur. Gentes in terra Armeniæ habitantes, diverſis nominibus nuncupantur, ſecundum terras & regiones, in quibus degunt, & ſunt equites & pedites ſtrenui bellatores: in armis, equis & veſtibus mores ſequuntur & habitum Tartarorum, qvi ſub eorum Dominio longo tempore ſunt detenti. Literas habent Armenicas, & alias etiam, quæ dicuntur Haloën. In Armenia eſt altior mons, quàm ſit in toto orbe

terrarum, qui Arath vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis Arca Noë post diluvium primò sedit. Et licet propter abundantiam nivium, quæ semper in illo monte reperiuntur, tam hieme qvàm æstate nemo valeat ascendere montem illum, semper tamen apparet in ejus cacumine qvoddam nigrum, qvod ab hominibus dicitur esse Arca.

CAP. X.

De regno Georgiæ.

REgnum Georgiæ ex parte orientis incipit à qvodam magno monte, qvi vocatur Alboris. Ibi multæ habitant gentium nationes, & ideò vocatur illa provincia Alania. Exinde extenditur regnum Georgiæ per occidentem versus septentrionem usque ad aliquas terras regni Turquiæ. Longitudo ipsius regni Georgiæ extenditur supra mare majus. Ex parte meridiei confines habet cum regno Armeniæ majoris. Et istud regnum dividitur in duo regna: unum vocatur Georgia, alterum verò Abcas nominatur: & semper ibi duo reges fuerunt: quorum alter est subjectus imperatori Asiæ, scilicet Rex Georgiæ: sed Rex Abcas est potens gentibus, & fortissimus munimentis: nec per imperatorem Asiæ, nec per Tartaros potuit subjugari. In isto regno Georgiæ apparet quoddam stupendum miraculum & monstrosum, quod dicere non auderem, neqve credidissem, nisi propriis oculis perspexissem: sed qvia personaliter ibi fui, & vidi, dico, qvod in illis partibus est quædam provincia, quæ vocatur Hamsem, quæ in circuitu bene habet tres diætas: & qvantum extenditur illa provincia tota, quadam caliginosa & tenebriosa caligine locus ille taliter obfuscatur, quod nullus est, qui aspicere possit quicquam: nec est aliqvis, qvi audeat ingredi terram illam; qvoniam ad redeundum

dum tramitem ignorat. Habitatores illarum partium asserunt, se sæpius audivisse voces hominum vociferantium cantum galli, hinnitus equorum in sylva. Et per meatus cujusdam fluminis, qvod de loco illo egreditur, apparent signa certa, qvod sit gentium habitatio in eodem. Verum est, quod legendo invenitur in historiis regni Armeniæ & Georgiæ, quod quidam pessimus fuit imperator & dominator Persarum, nuncupatur proprio nomine Savoreus: idola colebat iste, & persequebatur crudelissimè Christianos. Quodam verò die præcepit, ut omnes habitatores Asiæ venirent, & sua idola adorarent: & quicunque ejus dictis imperialibus contrairet, pœnam succendii pateretur. Unde accidit, quod quidam fideles Christiani potius quàm idola colerent, martyrium elegerunt: aliqui verò adoraverunt idola præ timore, & ne bonis temporalibus privarentur: alii verò petierunt montes & monumenta, & in illis tutarunt se viriliter contra permultos. Quidam verò boni Christiani tunc temporis in quadam planitie habitabant, quæ Mogon dicebatur, & dum nollent modo aliquo idolis immolare, cogitaverunt de fuga, bonis temporalibus derelictis omnibus. Et dum ad partes Græciæ crederent se transferre, ipse pessimus imperator obviavit, fugientibus Christianis, in illa videlicet planitie Hamsem, superius nominata. Qvumqve jussu Imperatoris deberent Christiani frustatim omnes universaliter detruncari, clamaverunt ad Dominum Jesum Christum, & continuò tenebrositas illa per siderum lumina obfuscavit, & Christiani pergentes recto tramite evaserunt. Iniqvi verò in illa tenebrositatis valle usqve nunc residunt, & residere debent usqve ad finem seculi, ut ab omnibus creditur & enarratur.

CAP. XI.

De regno Chaldæorum.

REgnum Chaldæorum ex parte orientis à montibus Mediæ incipit, & protenditur usqve ad Ninive, maximam & vetustissimam civitatem prope flumen Tigris. Et illa est civitas Ninive, de qua Sancta Scriptura loquitur. Ista civitas ad præsens est totaliter devastata: sed per ea, quæ adhuc sunt apparentia in eadem, firmiter credi potest, quod fuerit una ex majoribus civitatibus hujus mundi. Latitudo regni Chaldæorum ex parte Septentrionis incipit à quadam civitate, qvæ vocatur Maraga, & extenditur per meridiem usqve ad mare oceanum. Major civitas Chaldæorum vulgariter nominatur Babylonia: & sic antiqvitus dicta fuit, in qvam Nabuchodonosor filios Israel captivos abduxit de Hierusalem sanctissima civitate. In regno Chaldæorum multæ sunt planities, pauci montes, & modicæ aqvæ, qvæ per regnum discurrunt. Illi, qvi Chaldæa habitant, Nestoriani vocantur, aliqvi in errore Nestorii, & literas habent Chaldæas: Alii verò sunt ibi, qvi literis utuntur Arabicis, & sectam tenent falsissimam Mahumeti.

CAP. XII.

De regno Mesopotamiæ.

REgnum Mesopotamiæ ex parte orientis habet initium à magna civitate Mosel, qvæ sita est prope flumen Tigris, & per occidentem dilatatur usqve ad flumen Euphratis, & civitatem Rohais, qvæ fuit civitas regni Abagari, ad qvam fuit transmissa Veronica, qvæ hodie Romæ invenitur. Et prope Rohais est terra Haran, in qua Abraham antiquitus habitabat, qvam terram Dominus præcepit relinqvere; & se ad terram

ram promissionis ultra flumen Euphratis transferre, secundum quod in Biblia plenius continetur. Istud regnum Mesopotamiæ Græco idiomate nominatur, eò qvod inter ista duo Paradisi flumina, Tigris & Euphratis, habeat situm. Latitudo istius regni habet initium ab uno monte Armeniæ, qui vocatur Sanson, & dilatatur per meridiem usque ad desertum Arabiæ minoris. Istud regnum multas habet planities fertiles & amœnas: duos habet montes valde longos, & fructus copiosos. Mons ille, qvi ex parte orientis, vocatur Siniar. Alius mons vocatur Lisson. Modicæ labuntur aquæ per illam terram. Sed habitatores bibunt aquam de puteis & cisternis, & ipsorum aliqvi sunt Christiani, Syriani videlicet & Armeni: Alii verò sunt Saraceni, & illorum tenentes legem & sectam. Christiani Armeni sunt in facto eqvites & pedites valde boni. Saraceni verò & Syriani non ingerunt se de armis, sed sunt artifices & cultores agrorum; & aliqui sunt pastores ovium. Verumtamen in loco quodam, qui dicitur Mercdin, sunt aliqui Saraceni sagittarii valde boni; eorum idiomate Cordinis appellantur.

Cap. XIII.

De regno Turqviæ.

Regnum Turquiæ est valde magnum, & divitiis opulentum. Venas habet argenti, ferri, æris & aluminis in maxima quantitate. Ibi etiam omnium frugum & fructuum atqve vini copia invenitur, & multa sunt ibi animalia, & præcipuè boni equi. Confines habet ex parte orientis cum Armeniâ majori, & partim cum regno Georgiæ. Ex parte occidentis dilatatur usque ad civitatem Nataliæ, quæ supra mare Græciæ situm habet. Ex parte Septentrionis nullos habet cum aliqva terra confines, sed de longo in longum extenditur, supra

litora maris majoris. Ex parte meridiei partim habet confines cum ſecunda Armenia, & partim cum Cilicia, & partim usque ad mare Græciæ dilatatur, & reſpicit inſulam Cypri. Iſtud regnum â diverſis nationibus partium Orientis Græcia appellatur, quia antiquitus Imperator Græcorum terram iſtam Turqviæ quaſi pro ſuo proprio ſervabat, & per duces atque officiales imperatoris tunc temporis regebatur. Poſtquam verò Turchi occupaverunt terram illam, & habitaverunt ibidem, elegerunt dominum ſuper eos, & illum vocaverunt Soldan, quod idem eſt quod rex in idiomate Latinorum, & ex tunc terra illa fuit vocata Turquia; præcipuè à Latinis. In regno Turquiæ ſunt plures provinciæ, quæ magnas & principales obtinent civitates. In provincia Ligoniæ famoſa civitas Comi invenitur, quæ eſt major civitas totius regni Turquiæ. In ſecunda provincia, quæ dicitur Cappadocia, eſt civitas Cæſareæ Græciæ. Tertia provincia dicitur Sauria: & eſt ibi civitas antiqua Seleucia. Qvarta eſt Briquia nominata; & eſt ibi civitas Zichiæ Græciæ. Qvinta dicitur Quiſitan; & ibi eſt civitas Epheſon. Sexta Bithynia; & ibi eſt civitas Nichor. Septima Paphlagonia; & ibi eſt civitas Gynapolis. Octava dicitur Genech; & in iſta eſt civitas Trapezonda. Et iſta ſola provincia à paucis temporibus effecta eſt regnum per hunc modum. Qvando Turchi occupaverunt dominium regni Turchiæ, non potuerunt civitatem Trapezondæ, nec ejus pertinentias occupare propter caſtra fortiſſima & alia munimenta, & ſic permanſit in potentia Imperatoris Conſtantinopolitani ad terram illam regendam. Unum verò Gubernatorem annuatim conſueverat transmittere Imperator, qui Dux dicebatur. Unde accidit, qvod qvidam ex illis rectoribus ſeu ducibus rebellis effectus, tenuit terræ dominium pro ſeipſo, & fecit ſe regem, & ille, qvi nunc tenet terram Trapezondis, fecit ſe Imperato-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [24] - 14
PUBLIC DOMAIN

ratorem vocari. Habitatores illarum partium sunt Græci, & ritum Græcorum seqvuntur, & literas Græeas habent: Nos verò posuimus Trapezondam in numero provinciarum, & non in numero regnorum, secundum qvod nos instruunt historiæ partium Orientis. In regno Turqviæ habitant qvatuor gentium nationes videlicet Græci, Armeni, & Jacobini, isti Christiani sunt, & vivunt de mercationibus & laboribus terræ: & Turqvi, qvi sunt Saraceni, & illius terræ dominium de Græcorum manibus abstulerunt: & aliqvi sunt, qvi vivunt de mercationibus & laboribus terræ, & habitant in civitatibus & in villis: alii verò semper petunt nemora, & stant in campis hieme & æstate, qvi ovium sunt pastores, & sunt sagittarii valde boni.

CAP. XIV.

De regno Syriæ.

REgnum Syriæ ex parte orientis incipit à flumine Euphratis, & extenditur per occidentem, usqve ad civitatem Samaræ, qvæ est sita supra mare Græciæ, in capite deserti Ægypti. Latitudo regni Syriæ ex parte septentrionis, incipit à civitate Berytensi, & dilatatur usqve ad Graccum montis regalis. Ex parte orientis confines habet cum Mesopotamia; ex parte septentrionis cum secunda Armenia: & in parte cum regno Turqviæ. Ex parte meridiei versus occidentem nullos habet cum aliqvo regno confines, qvia mare Græciæ & desertum Arabiæ sunt sibi à duabus partibus circumcirca. Regnum Syriæ dividitur in qvatuor partes sive provincias, qvæ propter ipsarum magnitudinem consveverunt regna appellari antiqvitus, & reges fuerunt retoctis temporibus in eisdem. Sed in historiis partium orientis provinciæ non regna dicuntur.

Pri-

Prima provincia, qvæ eſt caput regni Syriæ, vocatur Sem, & in medio iſtius provinciæ eſt ſita nobilis civitas Damaſcena. Secunda provincia dicitur Palæſtina, in qva ſancta Hieroſolymitana civitas habet ſitum. Tertia dicitur Antiochia, & in illa ſunt duæ maximæ civitates, videlicet Halay & Antiochia major. Qvarta provincia Cilicia appellatur, ibiqve eſt ſita inexpugnabilis civitas Tarſenſis, in qva beatus Apoſtolus Paulus fuit natus: & iſta Cilicia hodie Armenia nuncupatur. Nam poſtqvam Chriſtianæ fidei inimici terram illam de Græcorum manibus abſtulerunt, & illam longo tempore tenuerunt, Armeni conati ſunt tantùm: qvod terram illam Ciliciæ eruerunt de populo paganorum, cujus qvidem dominium rex Armeniæ per gratiam Dei tenet. In regno Syriæ habitant diverſæ gentium nationes, videlicet Græci, Armeni, Jacobini, Neſtoriani & Saraceni. Ibi ſunt etiam aliæ Chriſtianorum nationes, videlicet Syriani & Maronini. Syriani ritum tenent Græcorum, & fuerunt longo tempore obedientes ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Lingvam loqvuntur Arabicam: ſed officium Eccleſiæ dicunt in literis Græcis. Maronini verò tenent ritum Jacobitarum, & lingvam & literas Arabicas habent. Circa montem Libani, & in partibus Hieroſolymitanis habitant iſtæ gentes, & ſunt ſagittarii boni: de culturis vivunt. Syriani ſunt multi; Maronini verò in modica qvantitate. Longitudo regni Syriæ XX. dierum ſpatio terminatur: latitudo verò dierum qvinqve, & in aliqvo loco minus, ſecundum qvod deſertum Arabiæ, & mare Græciæ longius vel propinqvius adhæret.

CAP. XV.

De imperio Saracenorum.

Sicut

SIcut in Evangelio invenitur, tempore nativitatis Domini nostri Jesu Christi, qvum Imperator Rom. Augustus Cæsar totius orbis monarchiæ imperium obtinebat: postmodum verò qvidam Rex Persarum, nomine Cosroassath, fuit primus ausus Romano imperio rebellare, qvi fecit se imperatorem Asiæ nominari. Iste occupavit dominium Persarum, Medorum, Armeniæ & Chaldæorum: & ipsius potentia tantum crevit, qvod violenter terras illas gentibus Imperatoris Romani totaliter vacuavit. Et duravit dominium regni Persarum CCCXXIX. annis. Postea verò Saraceni ab eis Asiæ imperium abstulerunt, sicut inferius clariùs exprimetur. Anno Domini DC XXXII. maledictum semen perfidi Mahumeti regnum Syriæ introivit, & Saraceni expugnantes Damasci opulentissimam civitatem, de manibus Græcorum, qvi illam longo tempore tenuerant, abstulerunt, & postea in brevi tempore totum regnum Syriæ occupaverunt. Postea verò obsederunt magnam Antiochiæ civitatem, in qva Græci illo tempore morabantur. Imperator Eraclius Augustus, Romanum administrans imperium, hoc audiens, misit subsidium magnum Græcis, ut civitatem tuerentur à perfidis Saracenis, & dum gentes Imperatoris Eraclii ad qvandam planitiem perveniissent, qvam Possene nominant, Saraceni ex opposito venientes, cum eis bellum crudelissimum inierunt. Magna qvidem fuit altercatio inter eos; sed obtinuerunt finaliter Agareni, & in illo conflictu bellatorum inumerabilis cecidit multitudo, & usqve nunc apparent ibi ossa cadaverum in maxima qvantitate. Unde accidit, ut qvod Græci, qvi in civitate degebant, nimio pavore perterriti, ipsam civitatem Antiochiæ Saracenis cum certis pactis & conventionibus dediderunt. Exinde præfati perfidiæ filii ingressi fuerunt Ciliciam, Cappadociam, Lycaoniam opulentissimas regiones, qvas in paucis diebus eorum domi-

nio ſubdiderunt. Non enim erat, qvi eorum potentiæ poſſet contraire, & ideo in magnam fuerunt ſuperbiam elati. Unde paraverunt galeas & alia navigia multa, & verſus Conſtantinopolim carbaſa direxerunt. Sed primò deſcenderunt in Cyprum & ceperunt majorem civitatem illius regni, qvæ Conſtantia vocabatur, ubi erat B. Barnabæ Apoſtoli ſepultura. Expoliata igitur infinitis divitiis civitate, & innumerabilibus populis captis funditus ipſam totaliter diruerunt, qvod nunqvam fuit ulterius habitata. Exinde pergentes qvoqve fuerunt inſulam Rhodi, & plures alias Romanas inſulas deprædati, & multos inde abduxerunt captivos. Finaliter verò Conſtantinopolim applicuerunt, tam per terram, qvàm per mare illam civitatem magnificam obſederunt. Chriſtiani qvidem tantam inimicorum copiam intuentes, terrore valido ſunt perculſi, & Dei miſericordiam humiliter imploraverunt. Unde accidit nutu Dei, qvod, licet tunc tempus eſſet æſtivum, & mare à fluctibus qvaſi immobile permaneret, ſubito ſurrexit tempeſtas valida, qvæ perfidorum galeas & alia ligna ferè omnia ſubmerſit in mari, & inimicorum, qvi erant in illis, nemo evaſit. Alii verò hoc videntes continuò receſſerunt. Chriſtiani qvidem videntes per Chriſti miſericordiam ſe ereptos, cum magna exultatione ordinaverunt diem annuum ad honorem Salvatoris perpetuo ſolenniter celebrandum, & usqve hodiè ab omnibus Chriſtianis illarum partium devotiſſimè obſervatur. Præfati verò iniqvitatis filii Agareni per aliqvod tempus dederunt ſe qvieti: poſtea verò copioſo exercitu congregato, regnum Perſarum invadere cogitarunt. Et primò fuerunt ingreſſi regnum Meſopotamiæ; deinde perrexerunt ad regnum Chaldæorum, qvod erat ſub dominio Perſarum regis, qvi non poterat reſiſtere Saracenis: unde de terra illa ſeçerunt omnia vota ſua. Rex verò Perſarum Aſcalorth nomine,

ne, timens Saracenorum potestati subjugari, nuncios suos misit ad terras & regna, qvæ erant circa flumen Phison, & ab eis subsidium imploravit promittendo venientibus magna stipendia & honores. De regno igitur Turqvestan, qvod propinqvius erat regno Persarum, congregaverunt se circa sex millia virorum, qvi nominabantur nunc temporis Turqviniani, & iter arripientes regi Persarum dare subsidium intendebant. Transierunt qvoqve flumen Phison, ex eo qvod eorum consvetudo est talis, qvod qvocunqve vadunt, secum ducant filias & uxores, non poterant ire celeriter, sed per diætas parvulas incedebant. Saraceni verò, qvi erant in regno Chaldæorum qvod subjugaverant, ut est dictum, timentes, qvod si exercitus Turqvorum & Persarum congregarentur in unum, non possint eorum vota de facili adimplere, accepto consilio saniore, regem Persarum invadere properant, anteqvam ei subsidium præberetur. Rex verò Persarum, dum non posset prælium evitare, cum gente sua se opposuit Saracenis, & inito bello juxta qvandam civitatem, qvæ Marga appellatur, magna fuit altercatio inter eos, & ab utraqve parte bellatores innumerabiles ceciderunt. Demum verò Persæ terga verterunt & Saraceni viriliter perseqventes Regem Persarum inter alios occiderunt, & victoriam reportarunt. Actum anno D CXXXII. Persarum itaqve Rege taliter interempto, & tam regno Persarum, qvam pluribus aliis subjugatis, præfati iniqvitatis filii Agareni sibi Imperatorem elegerunt, qvendam videlicet de progenie Mahumeti, & ipsum vocaverunt Caliph, & ordinaverunt, qvod sedem teneret in Baldac opulentissimâ civitate. In qvolibet verò aliorum regnorum, qvæ subjugaverant Agareni, constituerunt unum Dominum, qvem vocaverunt Soldan: deinde ceperunt civitates & villas, & totam majorem Asiam tenuerunt, præter regnum Abcar, qvod est in Georgia,

& præter qvandam aliam regionem regni Armeniæ, qvæ Haloën vulgariter appellatur. Istæ duæ regiones tenuerunt se contra Saracenos, nec voluerunt eis modo aliqvo obedire: & sic sumpserunt refugium & tutelam omnibus Christianis, qvos Saraceni persequebantur, illos compellentes obedire Mahumeti falsissimis documentis. De Turqvinianis verò superiùs nominatis, qvi Regi Persarum dare subsidium intendebant, breviter sumus aliqva locuturi, ut eorum historia, qvæ inferiùs exprimetur, clariorem habeat intellectum. Isti verò Turqviniani superiùs nominati, pervenerunt usqve ad qvandam terram, qvæ Corasen nuncupatur, ibiq; intellexerunt, qvaliter Rex Persarum in conflictu fuerat interemptus, & ideò ulterius procedere noluerunt, sed ad detentionem illius terræ Corasen potiùs aspirantes, ipsam contrà Saracenos crediderunt defendere & tenere. Hoc qvoqve Saraceni videntes, copiosum exercitum congregaverunt, ut Turqvinianos prædictos modis omnibus subjugarent. Sed Turqviniani videntes Saracenorum innumerabilem qantitatem, de prælio dubitantes, suos ad Caliphum nuncios destinaverunt, offerentes se obedire suis beneplacitis & mandatis, & rogaverunt, ut eos sub suo dominio conservaret. Hoc qvidem gratum extitit Saracenis, & sic receperunt eosdem, & in aliâ terrâ illos habitare fecerunt, ubi rebellionis audaciam non timerent. Et imposuerunt eis certum annuum censum Domino persolvendum, & plures alias servitutes. Et sic Turqviniani sub jugo Saracenorum longo tempore extiterunt, qvousqve regna Persarum, Medorum & Chaldæorum redacta fuerunt ad falsam fidem pessimi Mahumeti. Et post hæc Caliphus Seniores Turqvinianorum fecit ante suam præsentiam convocari, & svasit eisdem, ut legem & sectam acciperent Mahumeti, & procurarent, ut idem illud facerent omnes alii Turqviniani, promittens eis facere gratias & honores, si in hoc casu suis beneplacitis obedirent. Turqviniani autem,

qvi

qvi nullam legem penitùs seqvebantur, mandatis Caliphi faciliter consenserunt, & effecti omnes perfidi Saraceni. Et tantum in processu temporis procurârunt, qvòd sectæ Mahumeti adhæserunt Turqvinianorum sexaginta qvatuor nationes, & fuerunt omnes Turqviniani conversi ad fidem Saracenorum, præter duas tantummodò nationes, qvæ fuerunt omnes ipsi ab aliis segregati illi, qvi noluerunt se convertere. Ex tunc Saraceni cœperunt diligere Turqvinianos, & eis gratiam & beneficia impendebant: unde multiplicati fuerunt in divitiis & personis. Sciverunt enim sub dominio Saracenorum sagaciter pertransire, qvousqve rebellionis locum & materiam invenerunt. Qvibus captatis dominium abstulerunt à Saracenis, sicut in seqventi describetur. Annis verò CXCVIII. regnaverunt in Asiâ Saraceni, anteqvàm dominium amiserunt. Sed exorta fuit magna qvædam discordia inter eos, ita qvod Soldani & alii Principes terrarum, qvi tenebantur obedire Calipho, cœperunt rebelles fieri contra ipsum. Ob hanc causam Saracenorum potestas fuit plurimum diminuta. In Constantinopoli verò erat tunc temporis qvidam valentissimus Imperator, qvi Diogenes vocabatur. Iste viriliter & potenter cœpit invadere Saracenos, & recuperavit plures civitates & castra, qvæ redacta fuerant sub potentiam inimicorum tempore imperatoris Eraclii. Et inter alias liberavit Antiochiæ civitatem, & fortes civitates Ciliciæ, qvæ hodiè Armenia appellatur; & partem regni Mesopotamiæ. Idem dominium Christianorum reduxit. Alia verò regna Asiæ sub Saracenorum dominio remanserunt, & illa tenuerunt, qvousqve Turqviniani eisdem terris & dominio prævaluerunt, sicut inferiùs clariùs exprimetur. Anno M. LI. Turqviniani cœperunt primò in Asiâ dominari; hoc modo videlicet, qvòd qvando Turqviniani fuerunt repleti divitiis, & multiplicati plurimùm in personis, videntes discor-

diam, qvæ inter Saracenos vigebat, cogitaverunt de facili posse imperium occupare. Unde super eos Regem & Dominum elegerunt, nec unqvam prius de natione eorum habuerunt Dominum generalem. Primus qvidem eorum Dominus vocatus fuit Sadoc. Assumpto domino Saracenos viriliter invaserunt, & in brevi tempore acqvisiverunt majoris Asiæ totam terram. Calipho verò nullam intulerunt molestiam vel gravamen. Et Turqviniani, postqvam dominium Terræ Asiæ occuparunt, Caliphus timore potiùs, qvàm amore volens eis in omnibus complacere, prædictum Sadoc eorum Dominum, Imperatorem totius Asiæ ordinavit. Sed post modicum temporis spatium Sadoc sæpe dictus diem clausit extremum. Huic verò successit qvidam ejus filius, qvi vocatus fuit Dogrissa. Et iste cœpit pugnare contra Imperatorem Græcorum, & plures ipsorum occupavit terras & castra. Et misit qvendam suum consangvineum, qvi vocabatur Artot, ad invadendum regnum Mesopotamiæ, & concessit sibi, qvicqvid posset aqvirere contra Græcos. Unde idem Artot ivit cum magnâ gentium comitiva, & obsedit civitatem Rohais, qvam sine moræ dispendio occupavit. Deinde invasit alias terras & loca, & totum regnum Mesopotamiæ dominio suo subdidit. In civitate verò Mercdin tenuit sedem suam, & fecit se Soldanum ab omnibus appellari. Eo verò tempore obiit Dogrissa Imperator Asiæ, & qvidam ejus filius Aspasalem nomine, sibi successit. Iste Aspasalem qvendam Nepotem habebat, qvi vocabatur Solimam, qvi erat perstrenuus in armis, & diu servierat patri suo, & istum cum magno exercitu in Cappadociam misit, concessit sibi omnia, qvæ posset acqvirere contrà Græcos. Solimam itaq; pergens cepit qvam plurimas civitates regni Turqviæ, & dominium ipsius regni totum suo subjugavit dominio, & fecit se nominari Soldanum & mutato suo proprio nomine, vocari se fecit Solimansa.

manſa. Et de iſto Solimanſa faciunt mentionē hiſtoriæ Paſſagii Godefridi de Bulliono: qvia ille fuit primus, qvi ſe belliger oppoſuit Chriſtianis. Poſteâ verò obiit Aſpaſalem Imperator Turqvorum, & ſucceſſit ſibi qvidam ejus filius, vocatus Melecla. Iſte miſit Soldanum Meſopotamiæ Artot, & Solimansa Soldanum Turqviæ ad obſidendam civitatem Antiochiæ: qvi poſt paucos dies ceperunt eandem. Erat enim illa civitas valde magna, & pauci in eâ erant defenſores, qvi ſe opponerent Saracenis. Et hoc modo fuerunt Græci de totâ terrâ Aſiæ pulſi per potentiam inimicorum fidei Chriſtianæ. Poſt hæc verò Melecla Imperator Turqvorum deceſſit, & duos filios reliqvit. Primogenitus verò ſucceſſit in imperio patri ſuo, qvi vocatus fuit Belchiaroc. Sed frater ſuus, qvi audacior eo erat, occupavit imperii magnam partem: & eo tempore, qvo Baſſagium Godofridi de Bulliono tranſivit per Turqviam, Belchiaroc erat Imperator Perſarum, & Solimanſa erat Soldanus Turqviæ, qvi multas invaſiones intulit Chriſtianis, anteqvam tranſiret ad regnum Turqviæ. Poſtqvam verò Chriſtiani regnum Turqviæ tranſiverunt, civitatem Antiochiæ obſederunt. Qvo audito Imperator Turqvorum miſit ad ſubſidium ipſius civitatis qvendam ſuum ducem nomine Cerbagat, cum innumerabili multitudine bellatorum, Sed anteqvam illud ſubſidium veniret, Chriſtiani jàm occupaverunt civitatem. Unde obſederunt illam undiqve: Et ſic Chriſtiani, qvi priùs obſederunt, ſunt obſeſſi. Demum verò Chriſtiani egreſſi fuerunt de civitate per turmas & acies ordinati, & contra infideles prælium iniverunt, & ipſos contriverunt omnes velut ſtipulam, nutu dei. Illi verò qvi evaſerunt per fugæ remedium, ad Regnum Perſarum fuerunt reverſi, & invenerunt, qvod Belchiaroc eorum Dominus, finem clauſerat vitæ ſuæ. Frater verò ſuus voluit ſuccedere ſibi, & imperium occupare. Sed certi

ti ejus adversarii irruerunt in eum, & ipsum in frusta dissecuerunt: qvia nec posteà potuerunt esse concordes ad eligendum Imperatorem, vel generalem Dominum super eos: imò divisi inter se invicem præliantes. Georgiani verò & Armeni majoris Armeniæ hoc videntes, invaserunt prædictos Turqvos viriliter & potenter, & ipsos de toto Persarum Imperio fugaverunt. Unde iverunt cum uxoribus & filiis habitare in regno Turqviæ. Et per hoc multum crevit potentia Soldani Turqviæ, ita qvòd potentior omnibus est effectus, & usqve ad Tartarorum adventum tenuit pacificè regnum suum, à qvibus postmodum fuit debellatus, sicut inferiùs exprimetur. In regno Corasminorum erant qvidam populi ad arma strenui, qvi semper habitabant in tentoriis & campis, armentorum greges pascentes. Isti audientes de regno Persarum, qvòd esset absqve Rectore & Domino derelictum ac defensoribus vacuatum, cogitaverunt illud posse faciliter occupari. Accepto itaqve consilio, inter eos sibi ducem ac Domirum elegerunt qvendam, qvi vocabatur Jalaladinus, & in facto unanimiter pergentes ingressi fuerunt regnum Persarum, & iverunt usqve ad civitatem Corosii absqve contradictione cujusqvam: & ibidem residentiam facientes, præfatum eorum Dominum Jalaladinum, Imperatorem Asiæ coronaverunt. Crediderunt enim alia regna Asiæ ita faciliter subjugare, sicut fecerant in regno Persarum, qvod inierunt regnum, totum defensoribus vacuatum. Dicti Corasmini itaqve dederunt se solatio & qvieti, & divitiis regni persarum repleti, in magnâ sunt superbiâ elevati. Unde procedentes iverunt ad regnum Turqviæ, illud invadere cogitantes. Sed Soldanus Turqviæ nomine Aladinus suũ exercitum congregavit, & obviavit Corasminis in introitu regni sui. Inter eos qvidem fuit ingens prælium inchoatum: demum verò Corasmini terga verterunt, & amiserunt eorũ Imperatorem & Domi-

Dominum, qvi fuit in prælio interfectus. Illi verò, qvi potuerunt fugere, congregaverunt se in planitiebus Rohais, qvid facturi essent de cætero cogitantes. Unde ingressi fuerunt regnum Syriæ, qvod per unam Dominam tunc temporis regebatur: & crediderunt illud regnum faciliter occupare. Sed illa nobilis Domina in civitate Halap fecit suum exercitum congregari, & se opposuit Corasminis, & juxta flumen Euphratem prælium inierunt: ibiqve fusi fuerunt iterum Corasmini, & fugam arripuerunt versus desertum Arabiæ. Postmodum verò transiverunt flumen Euphratem prope castrum Cacabæ: & ingressi fuerunt terras Assyriorum, & iverunt usqve ad provinciam Palæstinæ, videlicet in regno Hierosolymitanorum. Ibi qvædam damna intulerunt non modica Christianis, sicut in historiis Godefridi Passagii plenius invenitur. Finaliter verò ista Corasminorum progenies ad nihilum est redacta, & tempore satis brevi. Qvia, dum prædicti Corasmini nollent suis majoribus obedire, separabant se per societates & turmas, & ibant alii ad Soldanum Damasci: alii ad Soldanum Ames: alii ad Soldanum Haman: alii verò ad alios Soldanos regni Assyriorum, qvi tunc temporis erant qvinqve, & sicut stipendiarii serviebant. Dux verò Corasminorum, qvi vocabatur Bartat, prævidens se à gente suâ taliter derelinqvi, ivit ad Soldanum Babyloniæ, & obtulit se & suos ad ejus beneplacita & mandata. Unde Soldanus benignè susceptit Corasminos, & eos per exercitum suum divisit, qvoniam nolebat, qvod insimul morarentur, & ducem Corasminorum plurimum honoravit, & eidem dedit magnos reditus & proventus, & usqve hodie hæredes illius Ducis in Babyloniâ honorantur. Per prædictos verò Corasminos potentia Soldani Babyloniæ multùm crevit, qvæ ante ipsorum adventum erat modica & exilis. Corasmini qvoqve modo prælibato divisi demum ad nihilum redierunt. Et sic

Coraſminorum deſtructâ natione, poſt modicum temporis ſpatium cœperunt poſteà Tartari in Aſiâ nominari, ſicut inferiùs plenius exprimetur.

CAP. XVI.

De regione, ubi priùs Tartari habitabant.

REgio illa, in qva Tartari primitùs habitabant, eſt ſita ultra magnum montem de Belgian, de qvo monte fit mentio in hiſtoriis Alexandri. In illâ verò regione habitabant Tartari tanqvam homines beſtiales, non habentes literas neqve fidem. Greges paſcebant animalium, & de loco ad locum incedebant, qværentes paſcua armentis. Ad armorum exercitium non valebant, ſed erant ab omnibus vilipenſi, reddentes vectigal univerſis. Plures Tartarorum fuerunt antiqvitus nationes, qvæ Moglos communi nomine dicebantur: & creverunt tantùm, qvod in ſeptem principales nationes ſunt diviſi: & illæ nationes magis nobiles fuerunt habitæ inter eos. Prima iſtarum nationum Tartarorum nominatur Tatar, qvæ à provinciâ, in qva degebant primitùs nomen ſumpſit: ſecunda appellatur Tangot: tertia Cunat: qvarta Jalair: qvinta Sonich: ſexta Monghi: ſeptima Tebeth. Qvumqve iſtæ ſeptem Tartarorum nationes ſtarent ſub obedientia vicinorum, ut ſuperiùs eſt expreſſum, accidit, qvòd qvidam homo ſenex, pauper, faber ferrarius, viſionem vidit in ſomno, militem videlicet totum album, armatum, & ſuper albo eqvo ſedentem, qvi ipſum nomine proprio appellavit, & dixit. Changie, voluntas Dei immortalis eſt, qvòd tu Tartarorum ſis Rector, & Dominus ſuper iſtas nationes Moglorſi, & qvod per te à ſervitute vicinorum, in qva ſteterunt diutius, liberentur: Et dominabuntur vicinis eorum, & vectigalia, qvæ præſtare conſveverant, recipient ab eisdem. Changius fuit magnâ

magnâ jocunditate repletus, audiens verbum Dei: Et narravit visionem, qvam viderat, universis. Sed Duces & majores istorum noluerunt credere visioni: imò senem qvodammodò deridebant. Nocte verò seqventi prædicti duces viderunt militem album, & visionem, sicut senex Changius omnibus referaverat: & præceptum fuit eis ex parte Dei immortalis, qvod obedirent Changio & sua mandata facerent ab omnibus observari. Unde prædicti Duces & majores septem nationum Tartarorum congregatis populis fecerunt fieri obedientiam & reverentiam Changio superiùs nominato, tanqvam eorum Domino naturali. Post hæc verò sedem suam statuerunt in medio ipsorum, & extendentes qvoddam filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt. Changium, & septem Duces majores elevantes illum posuerunt in sedē cum magno tripudio & clamore, & vocaverunt eum Cham primum Imperatorem, solennem reverentiam cum genuflexionibus eidem tanqvam imperatori & domino facientes. De tali verò solennitate; qvam Tartari fecerunt, qvi eorum primum imperatorem & Dominum posuerunt, & de filtro nemo debeat admirari, qvoniam fortè pulchriorem pannum, super qvo ipsum ponerent, non habebant: aut erant forsitan ita rudes, qvod melius vel pulchrius facere ignorabant. Sed de hoc an non posset aliqvis admirari, qvod cum prædicti Tartari acqvisiverunt multa regna & divitias infinitas (qvoniam dominium Asiæ tenent & opes, & usqve ad confines Hungariæ dominantur) nec propter hoc voluerunt antiqvam consvetudinem relinqvere, sive modum: imò oportet, qvod confirmatione imperatoris Tartarorum ille modus totaliter teneatur, qvem eorum veteres ab initio tenuerunt. Et ego in confirmatione imperatoris Tartarorum bis personaliter fui præsens. Sed ad propositum redeamus. Changius Cham, qvi factus fuit Imperator de communi voluntate & consen-

ſu omnium Tartarorum, anteqvam procederet ad alia, tentare voluit, an Tartari omnes ſibi fideliter obedirent. Unde præcepta fecit, qvæ juſſit ab omnibus obſervari. Primum præceptum fuit, qvod Tartari omnes crederent & obedirent Deo immortali, cujus nutu adeptus fuerat imperatoriam dignitatem. Et hoc mandatum Tartari tenuerunt, & ex tunc cœperunt nomen Dei immortalis invocare: & usqve hodie in omnibus eorum operibus Tartari invocant nomen Domini. Secundò præcepit, qvod computarentur omnes viri, qvi poterant arma ferre: Et factâ computatione præcepit, qvod ſub qvolibet denariorum præponeretur unus; & ſuper decem millia præponeretur unus: & ſuper mille præponeretur unus: & vocavit aciem decem millia armatorum, turmam. Præcepit etiam ſeptem ducibus, qvi præerant ſeptem nationibus Tartarorum, qvòd priores omnes dimitterent dignitates: & continuò hoc fecerunt. Aliud verò præceptum, qvod fecit, fuit valdè ſtupendum. Præcepit enim ſeptem majoribus ducibus prælibatis, qvod unusqvisqve primogenitum ſuum adduceret, & ſibi caput manu propriâ amputaret. Et licet tale mandatum videretur eſſe crudeliſſimum & iniqvũ, nullus tamen fuit auſus in aliqvo contraire, eò qvod ſciebant, eum eſſe Dominum proviſione divinâ; imò ſicut præceperat imperator, continuò adimplerent. Poſtqvam verò Changius Can vota ſuorum novit, & vidit, qvod usqve ad mortem erant obedire parati, certum diem omnibus aſſignavit, in qvo eſſent parati ad pugnam. Eqvitaverunt itaqve Tartari contra illos, qvi magis erant vicini, & ſubjugaverunt eosdem, & redacti fuerunt, qvi prius erant eorum Domini, in maximam ſervitutem. Et inde proceſſit Changius Can contra plures alias nationes, qvas ſuo ſubdidit imperio absqve nimiâ tarditate. Nam omnia Changius Can faciebat cum modicâ qvantitate, & proſperè ſuccedebat ei. Qvadam verò die accidit, qvod Changius

gius Can eqvitabat cum modicâ qvantitate ſuorum: & obviavit inimicis, qvi erant numero ſatis plures. Inito qvoqve bello, dum Imperator Changius Can ſe viriliter tueretur, accidit, qvod eqvus, ſuper qvo ſedebat, cecidit, interfectus in pugnâ. Tartari verò, cum viderent eorum Dominum proſtratum inter acies bellatorum, nulla fuit ſpes ulterius ſalutis. Unde terga vertentes inimicos per fugæ remedium evaſerunt. Qvumqve omnes ſimul intenderent ad perſeqvendum celeriter fugitivos, & de rege proſtrato notitiam non haberent, Changius Can cucurrit, & ſe intra qvædam arbuſtula occultavit, ut mortis periculum evitaret. Qvumqve de pugnâ redeuntes campum expoliarent & qværerent occultatos, accidit, qvod qvædam avis, qvæ bubo à pluribus nominatur, veniens ſuper arbuſtula illa ſedit, qvibus Majeſtas imperatoria tegebatur. Qværentes verò viderunt illam ſedentem ſuper illis arbuſtulis, & propterea crediderunt, neminem ibi eſſe, & abſqve eo, qvod qværerent, receſſerunt, dicentes intra ſe: Si eſſet hic aliqvis occultatus, avis illa nullatenus hic ſederet. In ſilentio verò noctis Changius Can propter metum inimicorum per devia incedendo pervenit ad ſuos, & narravit eis omnia, qvæ ſibi acciderant, ſeriatim. Tartari qvidem immortali Deo gratias reddiderunt, & avis illa, per qvam, poſt Deum, Changius Can creditur evaſiſſe, in tanta reverentia poſtmodum fuit habita inter eos, qvòd, qvicunqve poteſt habere de plumâ illius avis, reputat ſe felicem, & portant illam plumam Tartari in majorem reverentiam ſuper capitibus reverenter. Ego verò feci mentionem de iſtâ materiâ in hoc libro, ut ſciatur cauſa, qvare Tartari ſuper capitibus plumas portant. Changius Can Imperator Tartarorum de eo, qvod à tanto diſcrimine evaſerat, gratias egit Deo, & poſt hæc ſuos exercitus congregavit, & præfatos inimicos ſtrenuè invadendo, omnes ſub jugo ſuo poſuit ſervitutis; & ſic fuit Changius Can

imperator omnium regionum, qvæ erant citra montem Belgian, & illas possedit absqve inqvietatione cujusqvam, qvousqve aliam vidit iterum visionem, sicut in seqventibus describetur. Et non est mirandum, si in istis historiis non posui tempus certum: qvoniam licet à multis scire qvæsiverim veritatem, non tamen potui invenire, qvi super talibus plenariè me doceret. Et credo, qvod talis sit ratio, qvare tempus certum istarum historiarum penitùs ignoratur, qvia ab initio Tartari literas non habebant, & sic tempora & rerum gesta transibant absqve eo, qvod ab aliqvo notarentur, & per hunc modum oblivioni postea tradebantur,

CAP. XVII.

De Changio Can primo Imperatore Tartarorum.

POstqvam verò Changius Can omnia regna & terras, qvæ citra montem Belgian erant, suo dominio subjugavit, qvadam nocte vidit aliam visionem. Vidit enim iterum militem album, qvi ait: Changi Can, voluntas immortalis DEI est, qvod tu transeas montem Belgian, & versus occidentem dirigas gressus tuos, & occupabis regna, regiones & terras, & imperio tuo subjicies multas gentes. Et ut certus sis, qvoniam ea, qvæ tibi dico, sunt ex parte immortalis DEI, surge & vade cum gente tua ad montem Belgian ad locum, ubi mare jungitur cum eodem, ibiqve descendens, & versus Orientem cum novem genuflexionibus novies immortalem DEUM adorabis: & ipse, qvi est omnipotens, tibi viam ostendet, per qvem montem poteris commodè transire. Visa itaqve visione Changius Can gaudens surrexit, nec in aliqvo hæsitavit. Nam prima visio velut vera, de aliis certitudinem sibi dabat. Unde festinanter suos undiqve congregavit, & præcepit, qvod seqverentur

eum

eum cum uxoribus & filiis & omnibus, qvæ habebant. Perrexerunt itaqve, qvousqve pervenerunt ad locum, ubi mare magnum & profundum montibus adhærebat, nec ibi via ſive tranſitus aliqvis apparebat. Statim verò Changius Can, ſicut præceptum ſibi fuerat ab immortali DEO, de eqvo deſcendit. Illud idem omnes ſui univerſaliter facientes, verſus Orientem flexis genibus novies adorabant, ab omnipotenti & immortali DEO miſericordiam & gratiam implorantes, ut tranſitum & viam eis oſtenderet abeundi. Steterunt qvidem in orationibus nocte illâ. Manè verò ſurgentes, viderunt, qvod mare per novem pedes retroceſſerat à montibus, & dimiſerat viam latam. Stupefacti fuerunt omnes Tartari hoc videntes, & DEO immortali gratias devotisſimè reddentes, per viam, qvam patentem viderant, tranſierunt, & verſus occidentem eorum veſtigia direxerunt. Sed ſicut invenitur in hiſtoriis Tartarorum, poſtqvam Changius Can & Tartari montes tranſiverunt prædictos, paſſi fuerunt famis & ſitis penuriam aliqvibus diebus, qvoniam terram invenerunt deſertam, & aqvas amaras & ſalſas, qvæ guſtari non poterant qvoqvo modo, qvousqve pervenerunt eis omnia neceſſaria affluenter. Per plures verò dies traxit moram Changius Can in illâ fertili regione. Sed accidit nutu DEI, qvod qvædam vehemens infirmitas invaſit eundem, de cujus convaleſcentia medici deſperabant. Unde Changius Can Imperator Tartarorum convocavit ante ſe duodecim filios ſuos, qvos habebat, & monuit eos, ut ſemper eſſent unanimes & concordes, & dedit eis tale exemplum. Præcepit enim, qvod unusqvisqve filiorum portaret unam ſagittam, & cum ſimul adeſſent omnes, præcepit majori, ut omnes ſimul frangeret, ſi valeret. Ipſe verò accipiens ſagittas duodecim conatus eſt illas frangere; ſed non potuit ullo modo. Deinde tradidit ſagittas ſecundo filio, & tertio, & ſic de ſingulis; ſed nullus fuit,

qvi

qvi frangere posset illas. Hoc facto præcepit, qvod dividerentur sagittæ, & jussit minori filio, qvod divisim sagittas acciperet & frangeret unamqvamqve: & ille faciliter omnes fregit. Tunc Changius Can vertit se ad filios suos, & ait: Qvare filii mei non potuistis frangere sagittas, qvas vobis dedi fragendas? At illi dixerunt: Domine, qvia erant plures simul. Et qvare fregit illas minimus iste frater vester? Domine, qvia singulariter & divisim. Ita erit de vobis, ait Changius Can, qvamdiu eritis unanimes & concordes, durabit imperium vestrum semper. Sed qvàm citò eritis divisi, Dominia vestra ad nihilum reducentur. Multa alia bona exempla dedit Changius Can, qvæ fuerunt à Tartaris observatea. Et dicuntur in lingva eorum Jasack Changii Can, i. e. Constitutiones Changii Can. Post hæc, anteqvam decederet, sapientiorem & meliorem filium, qvem habebat, fecit recipi in Dominum & imperii successorem, & vocabatur ille filius suus Hoccota Can. His finitis, Changius Can reqvievit in pace, & filius suus Hoccota Can fuit positus in sede imperatoriâ patris sui. Sed anteqvam finem huic historiæ imponamus, dicemus, qvaliter nonus numerus inter Tartaros plurimum veneratur. In memoriam enim novem genuflexionum, qvas fecerunt in monte Belgiam immortali DEO, sicut eis præceperat miles albus, & latitudinis viæ novem pedum, per qvam transierunt, numerum reputant esse felicem. Unde, qvicunqve vult Domino Tartarorum aliqva præsentare, oportet, qvod offerat novem res, si vult, qvod donum suum recipiatur gratiosè. Et dummodo sint novem res, qvæ præsentantur, sic donum illud reputatur pro felici & bono. Et talis consvetudo usqve hodie inter Tartaros observatur.

CAP.

CAP. XVIII.

De Hoccota Can, secundo Imperatore Tartarorum.

HOccota Can, qvi in imperio patri suo succeſſit, fuit homo ſtrenuus atqve prudens. Dilexerunt eum Tartari & fidem & obedientiam erga ipſum fideliter ſervaverunt. Cogitavit itaqve Hoccota Can, qvaliter poſſet totam Aſiam ſubjugare, & primò voluit experiri potentiam Regis Aſiæ, qvam perſonaliter ſe moveret, & voluit cognoſcere principem fortiorem. Decem itaqve millia eqvitum bellatorum transmiſit, & dedit eis Capitaneum ſtrenuum & ſagacem, qvi vocabatur ** Iſte verò procedens cum Turcis ad pugnam, debellatus fuit ab eisdem. Unde Tartari per fugæ ſubſidium ſe defendebant. His itaqve peractis, Hoccota Can elegit qvendam Ducem ſtrenuum & prudentem, qvi vocabatur Baydo, & dedit ſibi triginta millia militum Tartarorum, qvi dicebantur Tamachi, vel conqviſitores: & præcepit eis, qvod per illam viam rectè incederent, qvam iverant decem millia Tartarorum ſuperiùs nominatorum, nec deberent in loco aliqvo diutiùs commorari, qvousqve perveniſſent ad regum Turqviæ, & tentarent, ſi poſſent, Soldano Turqviæ reſiſtere, qvi inter omnes Principes Aſiæ potentior dicebatur. Et ſi fortè tantæ eſſet potentiæ, qvod eidem reſiſtere non valerent, non properarent ad pugnam, ſed in aliqvâ terrâ bonâ darent ſe qvieti, & ſignificarent alicui ex filiis ſuis, qvi propinqvior eſſet eis, ut ipſis ſubſidium delegaret, & poſtmodum bellum poſſent ſecurius inchoare. Baydo igitur cum Comitiva triginta millium Tartarorum per diætas ſuas incedens, pervenit ad regnum Turqviæ, ibiqve audivit, qvod Soldanus ille, qvi priores fugaverat Tartaros, deceſſerat, & ſibi ſucceſſerat qvidam ejus filius,

nomine Guiatadin. Iſte verò de adventu Tartarorum rumoribus intellectis, timuit valdè ſibi. Unde ad ſua ſtipendia convocavit, qvoſcunqve habere potuit, tàm Barbaros, qvàm Latinos: & inter alios habuit ad ſua ſervitia duo millia Latinorum, qvi duos Duces ſive capitaneos habuerunt. Alter qvoqve habebat nomen Johannes de Liminata, qvi fuit in Inſula Cypri. Alius verò vocabatur Bonifacius de Caſtro: qvi fuit de Januâ Oriundus. Miſit etiam ad vicinos Soldanus, promittens venientibus gratias atqve dona. Unde congregatâ magâ multitudine bellatorum, greſſus ſuos direxit ad locum, in qvo Tartari morabantur. Tartari verò non fuerunt ullatenus ſtupefacti: imò prælium viriliter ſuſceperunt in qvodam loco, vocato Conſedrack. Demum verò obtinuerunt Tartari, & Turqvi, fuerunt viriliter debellati. Et ſic occupaverunt Tartari regnum Turqviæ, anno Domini milleſimo, ducenteſimo, qvaqvadrageſimo qvarto.

CAP. XIX.

De Gino Can, tertio Imperatore Tartarorum.

POſt modicum verò temporis ſpatium Hoccota Can diem clauſit extremum. Succeſſit autē ſibi in imperio qvidam ejus filius, qvi vocatus fuit Gino Can, cujus vita brevis fuit: & ſibi ſucceſſit qvidam conſangvineus ſuus, qvi vocabatur Mango Can, qvi fuit valentiſſimus, atqve multas provincias ſuo imperio ſubjugavit. Demum verò tanqvam magnanimus per mare Cathay ſe tranſtulit ad qvandam inſulam capiendam. Et dum in obſidione illius inſulæ permaneret, homines illarum partium, qvi ſunt valdè ſagaces & ingenioſi, miſerunt homines, qvi ſe occultè immerſerunt in aqvam, & ſub navi, in qvâ erat Mango, conſtiterunt tamdiu, qvoad navem illam in locis pluribus perfora-

forarunt. Aqva qvidem diu noctuqve paulatim per foramina ingrediebatur in navem, nec aliqvis perpendebat, qvousqve lignum funditùs est demersum, & Mango Can fuit continuò suffocatus. Tartari verò, qvi cum eo venerant, redeuntes, fratrem suum Cobila Can in dominum elegerunt, & iste Cobila Can XLII. annis tenuit imperium Tartarorum. Christianus fuit, & fundavit qvandam civitatem, qvæ vocatur Jons, in regno Cathay, qvæ major est Româ, ut dicitur. Et in illâ civitate moram traxit Cobila Can Imperator Tartarorum, usqve ad ultimum diem vitæ suæ. Sed dimisso Imperatore Tartarorum, de tribus filiis Hoccota Can, & de Haòlono, & de suis hæredibus, sumus aliqva narraturi.

CAP. XX.

De Jochi primogenito Hoccota Can.

JOchi primogenitus Hoccota Can equitavit versus occidentem cum totâ gente illâ, quam sibi dederat Pater suus. Invenit quasdam regiones illas, & terras fertiles & amœnas, & in omnibus divitiis opulentas. Unde ibi tentoria sua fixit. Acquisivit igitur regnum Turqvestan, & minorem Persiam: usqve ad flumen Phison suum dominium se excendit. Cum gente suâ traxit ibi moram semper, quæ multiplicatæ sunt in divitiis & personis: & hæredes ipsius Jochi usque nunc successivè illarum partium dominium tenuerunt. Et illi, qui nunc tenent terras illas, sunt duo fratres, quorum unus vocatur Capar, alter Doax: & illi inter se diviserunt terras & gentes, & illas possident pacificè & quietè.

CAP. XXI.

De Baydo, secundo filio Hoccota Can.

BAydo ſecundus filius Hoccota Can, cum Tartaris, quos ſibi dederat Pater ſuus, equitavit verſus partes ſeptentrionales, quousque pervenit ad regnum Cumaniæ. Cumani verò, qui magnam habebant copiam armatorum, oppoſuerunt ſe Tartaris, credentes poſſe defendere terram ſuam. Sed demum fuerunt debellati, & fugerunt usque ad regnum Hungariæ, & adhuc ſunt multi Cumani ibidem habitantes. Poſtquam verò Baydo extra regnum Cumaniæ omnes fugavit Cumanos, ad regnum Caſſiæ ſe tranſtulit, & illud etiam ſubjugavit, & occupavit terram Gaczariæ, & regnum Bulgariæ, & per viam, quâ Cumani fugerant, pervenit usque ad regnum Hungariæ. Poſthæc iverunt Tartari verſus partes Alemaniæ, quousque pervenerunt ad qvoddam flumen, quod labitur per Ducatum Auſtriacum. Tartari verò cogitaverunt tranſire per quendam pontem ibi factum: ſed Dux Auſtriæ, & alii convicini munierunt pontem: unde Tartaris fuit tranſitus denegatus. Baydo quidē furore accenſus, præcepit quod omnes tranſirent: & ipſe fuit primus ingreſſus, exponens mortis periculo ſe & ſuos. Nam antequam poſſent ad aliam ripam fluminis pervenire, equi fuerant feſſi, propter latitudinem fluminis, & fortitudinem aquæ. Unde Baydo ſubmerſus & ſuffocatus fuit cū magnâ quantitate ſuorum. Illi verò, qui nondum ingreſſi fuerant aquas, hoc videntes magno dolore confuſi, redierunt ad regnum Caſſiæ & Cumaniæ, quæ occupaverant, ut eſt dictum. Deinde verò Tartari Alemaniam minimè petierunt. Hæredes quidem prædicti Baydo ſucceſſivè terras, quas acquiſiverat, poſtmodum tenuerunt. Et ille, qui dominium nunc tenet, vocatur Tochay, & vivit pacificè & quietè.

CAP. XXII.

De Gohagaday, tertio filio Hoccota Can.

Goha-

Ghagaday tertius filius Hoccota Can, cum Tartaris, qvos sibi Pater suus concesserat, eqvitavit versus meridiem usqve ad partes Indiæ minoris. Multa qvidem invenit deserta, montes & terras aridas, & totaliter derelictas, qvod illas regiones non potuit pertransire: imò amisit gentium & animalium maximam qvantitatem: Tunc verò vertit se ad partes occidentis, & post multos labores pervenit ad fratrem suum Jochi, & qvæ sibi in viâ acciderant, enarravit. Jochi verò compatiens fratri suo, de terris, qvas acqvisierat, sibi & genti suæ partem benignè concessit. Et illi duo fratres semper simul postea habitaverunt, & usqve nunc eorum hæredes in illis partibus commorantur: ita tamen, qvod hæredes minoris fratris reverentiam portant hæredibus majoris, & contenti portionibus suis, simul vivunt pacificè & qvietè, & successor Jochi, qvi nunc vivit, vocatur Barachi.

Cap. XXIII.

De Mango Can, qvarto Imperatore Tartarorum.

Anno Domini M. CC. LIII. rex Armeniæ dominus Aytonus, videns, qvod Tartari ferè subjugaverant omnia regna regiones & terras, usqve ad regnum Turqviæ, accepto consilio Sapientum, cogitavit ad Imperatorem Tartarorum personaliter se transferre, ut facilius captare posset ejus benevolentiam & amorem, & secum inire pacis fœdus. Sed primo transmisit dominum Sinibaldum Conestabulum regni Armeniæ fidelem suum, ut accepta ab Imperatore Tartarorum licentiâ securiùs posset ire. Unde prædictus frater regis, dominus Sinibaldus cum xeniis multis, & pulchra gentium comitiva, ivit ad dominum Tartarorum, & negotia, pro qvibus transmissus fuerat, optimè adimplevit. Veruntamen per spatium annorum qvatuor traxit moram, anteqvam Armeniam remearet.

Postquam verò rediit, regi ea, quæ viderat & fecerat, serioſius enarravit. Absque igitur tarditate rex Armeniæ receſſit occultè. Dubitabat enim cognoſci in terra Turqviæ, per qvam ipſum tranſire modis omnibus oportebat: & ſicut DEO placuit, Soldanus Turquiæ tunc fuit viriliter debellatus per qvendam ducem Tartarorum, qvem Rex Armeniæ inuenit, & ſui notitiam ſibi dedit. Quumque capitaneus ille intellexit de rege Armeniæ, qvod ad Imperatorem iret, ſuscepit illum honorificè & benignè, & fecit illum ſecurè conduci usque ad regnum Cumaniæ, & ultra etiam portam ferri. Poſtea verò invenit rex alios duces Tartarorum, qui fecerunt illum conduci per omnes terras & loca, quousque pervenit ad Almalech, ubi Mango Can Tartarorum Imperator & dominus reſidebat. Gaviſus fuit Mango Can de adventu regis Armeniæ, eo præcipuè, quod poſtquam Changius Can montem Belgiam tranſivit, nullus magnus Princeps ei venerat in occurſum & ideo cum magna benevolentia & honore ſuſcepit eundem, deditque ſibi de majoribus domus ſuæ, qui eum aſſociarent, & in omnibus honorarent. Et ipſe Imperator multas gratias fecit regi Armeniæ. Rex autem Armeniæ, poſtqvam per dies aliqvos reqvievit, ſupplicavit Imperatori, qvatenus ſuper expeditione negotiorum, pro qvibus ad eum venerat, intendere dignaretur & daret ſibi licentiam redeundi. Imperator verò benignè reſpondit, qvod omnia vota ſua libentiſſime adimpleret, & qvod valde gratum erat ſibi, qvod ad imperium ſuum venerat ſua ſpontanea voluntate. Rex itaqve ſeptem petitiones cum deliberatione formavit. Primò enim rogavit, ut Imperator cum gente ſua converteretur ad fidem Chriſti, ſectis aliis omnibus derelictis, & ſe facerent baptizari. Secundò petiit, qvod pax & amicitia perpetua inter Chriſtianos & Tartaros firmaretur. Tertiò reqviſivit, qvod in omnibus terris, qvas Tartari acqviſiverant,

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [48] - 38
PUBLIC DOMAIN

ſiverant, & qvas acqvirerent, omnes Eccleſiæ Chriſtianorum & clerici illarum ſive Laici, ſive religioſi ab omni ſervitute & datia eſſent liberi & exempti. Qvartò reqviſivit, ut terram ſanctam & ſanctum ſepulchrum Domini de manibus Saracenorum auferret & reſtitueret Chriſtianis. Qvintò, ut intenderet ad deſtructionem Caliphi de Baldack, qvi erat caput & doctor Sectæ perfidi Mahumeti. Sextò reqviſivit, ut ſibi concederetur privilegium ſpeciale, qvod à qvibuscunqve Tartaris, præcipuè regni Armeniæ propinqvioribus, auxilium imploraret, ſibi dare omni mora poſtpoſita tenerentur. Septimò reqviſivit, qvod omnes terræ jurisdictionis regni Armeniæ, qvas Saraceni occupaverant, & in manus Tartarorum poſtmodum redierant, regi Armeniæ reſtituerentur: illas omnes, qvas Rex acqvirere poſſet, contra Saracenos illos, haberes, & teneret pacificè & qvietè. Mango Can ergo petitionibus regis Armeniæ, intellectis, ſuos fecit proceres & conſiliarios convocari, & regi Armeniæ in ſua præſentia conſtituto, coram omnibus adſtantibus ſic reſpondit: Qvoniam Rex Armeniæ de longinqvis partibus ad Imperium noſtrum venit, non compulſus, ſed ſua propria voluntate, decet Imperatoriam Majeſtatem ſuis ſupplicationibus annuere, in his præcipuè, qvæ ſunt licita & honeſta. Vobis itaqve Regi Armeniæ taliter reſponſurus ſum, qvod preces veſtras acceptamus & omnes faciemus cum DEI beneplacito adimpleri. Primò qvidem ego Imperator & Dominus Tartarorum me faciam baptizari: tenebo fidem, qvam tenent hodie Chriſtiani, & omnibus aliis ſub meo Imperio conſtitutis conſulam, qvod faciant illud idem: non tamen intendo violentiam facere alicui. Ad ſecundam reqviſitionem veſtram taliter reſpondemus, qvia volumus, qvod pax perpetua vigeat inter Tartaros & Chriſtianos; ita tamen, qvod vos principalem fide juſſorē conſtituere debeatis, qvod Chriſtiani pacem & concordiam erga nos,

nos, ſicut nos erga ipſos, inviolabiliter obſervent. Volumus etiam, qvod omne s Chriſtianorum eccleſiæ, & clerici Chriſtianis cujuscunqve conditionis exiſtant, ſeculares ſive religioſi, gaudeant in omnibus terris noſtri imperii privilegio libertatis, nec libeat alicui ex eis inferre moleſtum qvoqvo modo. Super facto terræ Sanctæ dicimus, quoniam, ſi poſſemus commodè, perſonaliter veniremus ob reverentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sed qvia multum habemus in iſtis partibus expedire, fratri noſtro Haolono dabimus in mandatis, qvod negotium iſtud, ſicut decet, ducat per omnia ad effectum. Eruet enim civitatem Hieruſalem, & totam terram ſanctam de manibus paganorum, & illam reſtituet Chriſtianis. Super facto Caliphi de Baldak nos dabimus in mandatis Baydo capitaneo Tartarorum, qvi ſunt in regno Turqviæ & aliis, qvæ circa illas regiones inveniuntur, qvod omnes obedire debeant fratri noſtro, & volumus, qvod ipſe deſtruat Caliphum tanqvam noſtrum capitalem & peſſimum inimicum. De privilegio verò illo, qvòd qværit habere Rex Armeniæ ſuper habendo ſubſidio Tartarorum, volumus, qvod illud dictetur juxta ſuam plenariam voluntatem, & illud faciemus libentiſſimè confirmari. Ultimò verò de eo, qvod Rex Armeniæ reqvirit, qvatenus terras regni ſui per Saracenos ablatas, & poſtmodum per Tartaros occupatas, ſibi reſtitui faciamus, hoc etiam concedimus liberaliter & libenter, & volumus, qvod frater noſter Haolonus omnes dictas terras reſtituat ſine mora: & ulterius volumus & mandamus, qvod de terris, qvas acqviſivimus, plana caſtra dicto regi in augmentum: & tutelam regni ſui de ſpeciali gratia concedantur,

CAP. XXIV.

De Mango Can, qvaliter baptizatur in Chriſto.

Poſt

POstqvam igitur Mango Can petitiones regis Armeniæ liberaliter adimplevit, & confirmavit per privilegia mihi facta, continuò voluit baptismatis recipere sacramentum. Unde baptisatus fuit per manus cujusdam episcopi, qvi erat Cancellarius regni Armeniæ, & omnes illi de domo sua fuerunt etiam baptisati, & multi alii utriusqve sexûs nobiles & magnates, & ordinavit de illis, qvi seqvi debebant Haolonum fratrem suum, pro subsidio terræ sanctæ. Eqvitaverunt ergo Haolonus, & Rex Armeniæ ambo simul, qvousqve transiverunt magnum flumen Phison. Haolonus qvidem cum suo exercitu copioso invasit regiones & terras undiqve, & anteqvam sex mensium spatium laberetur, totum regnum Persarum, qvia carebat Domino & Rectore, fuit faciliter subjugatum: cepitqve Haolonus absqve resistentia omnes terras, usqve ad terram Assassinorum. Isti verò Assassiani sunt homines infideles, nullam habentes legem & fidem, nisi sicut eorum Princeps & Dominus instruebat, qvi Sex emontius vulgariter dicebatur, ad cujus beneplacitum & mandatum, morti se sponte & faciliter offerebant. Habebant enim præfati Assassini qvoddam inexpugnabile castrum, qvod Tigado dicebatur. Erat autem illud castrum omnibus necessariis præmunitum, & ita forte, qvod à nulla parte timebat insultum: Præcepit itaqve Haolonus cuidam duci, ut assumeret decem millia Tartarorum, qvæ dimisit in custodia regni Persarum, qvod subjugaverat, ut est dictum, qvibus castrum illud obsideret, & qvousqve illud caperet, non discederet ullo modo. Unde prædicti Tartari in obsidione illius castri steterunt per viginti septem annorum spatium tam hieme qvam æstate: finaliter verò Assassimi reddiderunt castrum propter defectum vestium, & non propter penuriam victualium, vel alia ratione. Eo verò tempore, qvo Haolonus vacabat circa custodiam regni Persarum, & obsidio-

nem castri Assassinorum, Rex Armeniæ ab eo accepit licentiam redeundi; qvia longo tempore steterat extra regnum: Haolonus itaqve licentiam dedit regi, & eidem contulit magna dona, & insuper mandavit præcipiendo Baydo, qvi in regno Turqviæ, qvod occupaverat, residebat, ut regem Armeniæ conduci faceret securè usqve ad introitum regni sui. Cujus mandatum fuit per omnia adimpletum: & sic post spatium trium annorum, & dimidium reversus fuit Rex Armeniæ sospes & hilaris per gratiam Jesu Christi.

CAP. XXV.

De Haolono, fratre Mango, qvi destruxit Assyrios & introivit in regnum Persarum pro fide Christi.

POstqvam verò Haolonus de custodia regni Persarum, sicut erat decens, & rectum, ordinavit, transtulit se ad qvandam Armeniæ provinciam, qvo vocabatur Sorloch. Ibi tota æstate dedit se solatio & qvieti, & ipse qvoqve hieme veniente obsedit civitatem Baldach, in qva erat Caliphus, qvi magister erat & doctor sectæ perfidi Mahumeti: fecitqve Haolonus ad exercitum convocari triginta millia Tartarorum, qvi erant in regno Turqviæ: postqve congregavit undiqve gentem suam, insultari fecit ante litus civitatis, qvæ velociter absqve nimio moræ dispendio fuit capta. Caliphus qvidem captus vivus adductus fuit ante præsentiam Haoloni: & inventæ fuerunt in Baldach tantæ divitiæ, qvod vix credendum esset, esse totidem in residuo hujus mundi. Capta autem fuit civitas Baldach anno Domini M. CCLVIII.

CAP.

Cap. XXVI.

De Haolano, qvaliter cepit civitatem Baldach, & destruxit Caliphum, summum Pontificem Saracenorum.

POstqvam verò Haolonus de civitate Baldach fecit omnia, qvæ volebat, jussitqve Caliphum ante se adduci, & præcepit, quod ante se totum ejus thesaurum poneret. Tunc verò Haolonus interrogavit Caliphum, dicens: Cognoscis ne totum fuisse tuum, qvod vides? Utique ait ille. Haolonus dixit: Quare tu tanto thesauro non convocabas stipendiarios & vicinos, ut te & terram tuam tuerentur à potentia Tartarorum? At ille respondit, quoniam credebam satis sufficere gentem meam. Tunc dixit Haolonus Calipho: Tu diceris doctor omnium credentium in falsa secta Mahumeti, & à tuis munerabaris: talis ergo magister & tantus aliis cibis cibari non debet. Unde tibi damus in cibum ista omnia pretiosa, qvæ tantum dilexisti, & cum magna aviditate custodisti: & præcepit ponere Caliphum una camera, & ante ipsum projici margaritas & aurum, ut de illis comederet, qvantum vellet, & præcepit, ne aliqvis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem. Et sic morte pessima miser ille, & avarus miserabilem vitam finivit: nec unqvam Caliphus postea exstetit in Baldach.

Cap. XXVII.

De morte Caliphi.

POstqvam verò Haolonus subjugavit Baldach, & terras alias circumcirca provincias divisit per duces, & rectores, sicut suæ placuit voluntati, & præcipit, qvod ubiqve Christiani tractarentur benignè, & qvod eis castrorum & civitatum custodiæ traderentur. Saracenos qvidem jussit ponere in ma-

xima ſervitute. Haolono qvidem erat uxor Chriſtiana nomine Doucoscaron, & fuit de progenie illorum regum, qvi venerunt ab oriente viſa ſtella nativitatis Domini. Et iſta domina devotiſſima Chriſtiana in perpetuum licentiam diruendi templa Saracenorum petebat, & inhibendi, ne ſolennitas fieret in nomine Mahumeti, & fecit Saracenorum templa funditus devaſtari, & in tantam ſervitutem poſuit Saracenos, qvod non erant auſi ulterius apparere.

CAP. XXVIII.

De perſecutione ſacerdotum in lege Mahumeti.

POſtqvam verò Haolonus reqvievit per ſpatium unius anni, tunc miſit ad Regem Armeniæ, qvod veniret cum gente ſua civitatem Rohais, in regno Meſopotamiæ, qvoniam intendebat ire ad terram ſanctam, ut illam redderet Chriſtianis. Unde Rex Haithonus bonæ memoriæ iter ſuum arripuit cum magno proborum armatorum virorum, eqvitum & peditum comitiva: qvia tunc temporis regnum Armeniæ in tam proſpero ſtatu erat, qvod facere poterat duodecim millia eqvitum, & qvadraginta millia peditum armatorum. Et ego, qvi hoc tempore meo vidi, poſſum perhibere teſtimonium veritati. Qvumqve rex Armeniæ veniſſet, ſicut mandaverat Haolonus, & ſuper negotio terræ ſanctæ ſimul colloqvium habuiſſet, ait Rex Armeniæ Haolono: Domine, Suldanus Halappi tenet totius regni Syriæ principatum, in qvo qvidem regno ſancta Hieroſolymitana civitas invenitur. Et poſtqvam intenditis, terram ſanctam acqvirere, ſicut mihi videtur, primitus eſt Halappi civitas obſidenda, qvæ totius regni Syriæ eſt caput & magiſtra. Nam ſi civitas Halappi veſtro ſubditur dominio, alias terras omnes poteritis faciliter obtinere. Conſilium itaqve regis Armeniæ placuit Haolono: unde fecit obſidere civitatem Ha-

Halappi, qvæ erat fortiſſima civitas muris circummunita, habitata, plena populis, & divitiis opulenta. Haolonus qvoqve cum meatibus ſubterraneis, cum onagris, arcubus & baliſtis, & aliis generibus armorum variis & diverſis, invadi fecit undiqve ſic viriliter civitatem, qvod, licet inexpugnabilis videretur, ipſam tamen violenter novem dierum termino occupavit. In ipſa qvidem civitate Halappi tantam divitiarum incredibilem multitudinem invenerunt, qvod vix eſſet credendum. Erat autem qvoddam caſtrum in medio civitatis, qvod ſe tenuit per undecim dies, poſtqvam civitas jam extiterat occupata. Demum verò per meatus ſubterraneos fuit captum. Et capta fuit civitas Halappi, & deinde regnum Syriæ per Haolonum anno Domini M. CC. LX.

Cap. XXIX.

De Haolono, qvaliter cepit civitatem Halappi & Damaſcum, & acqviſivit terram ſanctam, usq; ad deſertum Ægypti.

QVando verò Soldanus Halappi, qvi vocabatur Melecnaſer, qvi tunc erat in civitate Damaſci, intellexit, qvod civitas Damaſci capta fuerat, cum filiis & uxore, qvi erant ibidem, neſcivit ad conſilium ponere ſeipſum, niſi qvod ad pedes Haoloni venit, miſericordiam implorando. Sperabat enim per hoc, qvod ſibi uxor & filii redderentur, & pars aliqva ad ſuum dominium tenendum. Sed Soldanus fuit in ſua opinione deceptus, qvoniam Haolonus ad regnum Perſarum deſtinavit ipſum cum filiis & uxore, ut absqve inqvietatione dominium Syriæ obtineret. His itaqve ſic peractis, de ſpoliis acqviſitis in captione civitatis Halappi, regi Armeniæ Haolonus contulit magnam partem, & de terris etiam, qvas occupaverat, re-

gi qvam plures conceſſit. Unde Rex Armeniæ accepit plura caſtra regno ſuo vicina, & illa fecit muniri ad ſuam liberam voluntatem. Poſt hæc Haolonus miſit per principem Antiochiæ, qvi regis Armeniæ gener erat, dona, & ipſum Principem plurimum honoravit, & dedit ſibi privilegia gratioſa & omnes terras ſuæ jurisdictionis, qvas occupaverant Saraceni, & qvæ ad ſuum dominium redierant, juſſit qvòd principi redderentur liberè & qvietè. Et poſtqvam Haolonus ordinavit ea, qvæ fuerant ordinanda, circa negota civitatum & terrarum, qvas occupaverat, dum intenderet ſe transferre ad regnum Hieroſolymitanum, ut terram ſanctam liberaret de manibus Saracenorum, & illam reſtitueret Chriſtianis. Et ecce nuntius venit tertia die noua ferens de obitu fratris ſui, & narravit qvaliter poſt obitum Mango Can vacaverat imperium Tartarorum, qvod ejus qvotidie præſtolabatur adventus, ut ipſum in ſede ponerent fratris ſui. Haolonus qvidem intellectis rumoribus de obitu fratris ſui, fuit ineffabili triſtitia circumventus. Unde ulterius non proceſſit, ſed ordinavit qvendam ſuum ducem nomine Guiboga, & dimiſit ipſum cum decem millibus Tartarorum in cuſtodiam regni Syriæ, & præcepit, qvod terram ſanctam aqvireret & reſtitueret Chriſtianis. Qvo facto, Haolonus feſtinanter receſſit, verſus partes orientis dirigens ſuos greſſus, & dimittens in Thauniſio natum ſuum, per diætas ſuas proceſſit.

CAP. XXX.

De Cobila Can, qvinto Imperatore Tartarorum.

SEd anteqvam ad regnum Perſarũ perveniſſet, ecce ſibi nuntii qvidam occurrerunt, qvi narraverunt, qvaliter omnes Proceres & majores fratrem ſuum Cobila Can poſuerant in ſede Imperatoria Tartarorum. Qvo audito Haolonus, dum in Thauniſio moraretur, ecce nuntii venerunt ad eum, qvi retulerunt ſibi, qvod

qvod Barcat cum maximo apparatu incedens, intenderet hæreditare, si posset. His qvoqve rumoribus intellectis Haolonus, continuò gentem suam congregavit, & obviavit inimicis suis super qvodam flumine congelato, ibiqve fecit ingens prælium inchoatum. Propter multitudinem gentium & eqvorum glacies rupta est, & submersi fuerunt tàm ab una parte, qvàm ab alia triginta millia Tartarorum. Exercitus verò utriusqve partis absqve alio processu redierunt tristes propter amissionem suorum. Guiboga verò, qvem Haolonus dimiserat in regno Syriæ, & in provincia Palæstinæ, terras illas tenuit pacificè & diligebat multum Christianos. Nam ipse fuerat de progenie trium regum, qvi venerunt nativitatem Domini adorare. Qvumqve dictus Guiboga solicitè laboraret, ut terram sanctam reduceret in potentiam Christianorum, ecce diabolus inter ipsum & Christianos illarum partium semen scandali & discordiæ seminavit, & hoc accidit tali modo. In terra enim de Belfortis, qvæ est de dominio civitatis Sidonensis, erant plures villæ, in qvibus Saraceni certum censum Tartaris exhibebant: unde accidit, qvod certi homines Sidonis & de Belfortis congregati in unũ iverunt ad villas Saracenorum, & casalia, & deprædaverunt eos, plures interfecerunt Saracenos, alios verò cum magna multitudine bestiarum ducebant cum præda. Qvidam verò nepos Guibogæ, qvi ibi prope morabatur, cum parva eqvitum comitiva, seqvutus fuit celeriter Christianos, qvi talia fuerant operati, ut diceret ex parte avunculi sui, qvod dimitterent prædam. Qvidam exipsis Christianis irruerunt in eum & occiderunt eum, & qvosdam alios Tartaros cum eodem, & noluerunt restituere prædam. Qvando Guiboga intellexit, qvod Christiani interfecerant nepotem suum tali modo, confestim eqvitavit, & cepit civitatem Sidonensem, & destruxit magnam partem murorum, paucos perdidit Christianos, qvi ad insulam fugerant.

Nun-

Nunqvam tamen poſtea de Chriſtianis Syriæ Tartari fiduciam habuerunt, neqve Chriſtiani Tartaris ſunt confiſi. Poſtea verò Tartari pulſi fuerunt de regno Syriæ per potentiam Saracenorum, ſicut inferius exprimetur.

CAP. XXXI.

De morte Haoloni, qvaliter Soldanus recuperavit terram Syriæ Ægypti.

INterea qvoqve, dum Haolonus haberet guerram cum Bartat, ſicut ſuperius eſt expreſſum, Soldanus Ægypti ſuo exercitu congregato egreſſus eſt de Ægypto & venit ad provinciam Palæſtinæ, & in qvodam loco vocato Henyaleck, prælium cum Guiboga capitaneo Tartarorum commiſit, & idem Guiboga fuit debellatus, & occiſus in bello. Tartari verò, qvi de prælio illo evadere potuerant, iverunt in Armeniam: & ex tunc regnum Syriæ ſub poteſtate Saracenorum fuit totum redactum præter aliqvas civitates Chriſtianorum poſitas prope mare. Qvando verò Haolonus intellexit de Soldano Ægypti, qvi regnum Syriæ invaſerat, & fugaverat gentem ſuam, continuò ſuum exercitum congregavit, & miſit ad Regem Armeniæ, & ad Regem Georgiæ, & ad alios Chriſtianos partium orientis, ut venirent parati contra Soldanum Ægypti, & alios Saracenos. Qvumqve Haolonus jam ſuum exercitum congregaſſet, invaſit eum qvædam infirmitas, qvæ eum detinuit per ſpatium qvindecim dierum, & ex illa infirmitate obiit Haolonus. Cujus rei cauſa terræ ſanctæ negotium jam inceptum fuit totaliter perturbatum poſt obitum Haoloni. Abaga filius ejus tenuit dominium patris ſui, & rogavit Cobila Can Imperatorem, avunculum ſuum, ut ipſum in dominio ſuo confirmaret: & hoc fecit libenter. Unde vocatus fuit Abaga, & cœpit dominari anno domini M. CC. LXIV.

CAP.

Cap. XXXII.

De Abaga filio Haoloni, qvi patri in imperio succeſſit.

ABaga fuit prudens, & dominium ſuum proſperè gubernavit, & fuit in omnibus fortunatus, præter in duobus: unum videlicet, qvia noluit effici Chriſtianus, ſicut exſtiterat pater ſuus, imò colebat idola, & fidem dabat Presbyteris idololatriæ. Aliud, qvia ſemper guerram habuit cum vicinis: & propter hoc Soldanus fuit longo tempore in qviete, & ex hoc Saracenorum potentia multum crevit. Tartari verò, qui evadere poterant de terris Tartarorum, fugiebant ad Soldanum, ut evitarent gravia onera, qvæ eis Tartari imponebant. Propterea Soldanus fecit qvandam magnam ſagacitatem, qvia miſit nuncios ſuos per mare ad Tartaros, in regno Cumaniæ, & regno Ruſſiæ, & fecit cum illis Tartaris compoſitionem & pactum, videlicet qvod qvandocunqve Abaga moveret guerram contra terram Ægypti, qvod ipſi invaderent terram ſuam, & promiſit dare magna dona eis. Et hoc modo Abaga non poterat invadere terram Ægypti: & Soldanus ſine contradictione cujusqvam potuit invadere Chriſtianos & terras Syriæ faciliter occupare. Unde Chriſtiani amiſerunt civitatem Antiochiæ, & alia plura caſtra, qvæ in regno Syriæ poſſidebant.

Cap. XXXIII.

De Soldano Ægypti, qvaliter debellavit Regem Armeniæ, & unum de filiis ejus cepit, alterum occidit.

Præterea Benedeclar, Soldanus Ægypti, ita extitit fortunatus, qvod poſtea regnum Armeniæ conqvaſſavit. Nam

accidit, qvod Rex Armeniæ cum magna gente iverat ad Tartaros, & Soldanus hoc sciens, cogitavit invadere regnum Armeniæ. Unde misit qvendam capitaneum suum loco sui, cui tradidit gentem suam. Filii autem Regis Armeniæ scientes Saracenorum aduentum, congregatis omnibus, qvi poterant arma ferre in confinibus regni, obviaverunt Ægyptiis, cum qvibus viriliter pugnam inierunt: finaliter tamen fuit Armeniorum exercitus debellatus: ex duobus filiis Regis alter fuit captus, alter verò occisus in bello. Saraceni itaqve per regnum Armeniæ discurrentes, ferro totam planitiem devastarunt, & bona infinita inde asportarunt in Christianorum maximum detrimentum. Exinde verò inimicorum potentia multum crevit, & regis Armeniæ posse fuit mirabiliter diminutum. Rex verò Armeniæ qvi semper solicitè conabatur ad destructionem infidelium toto posse, intellectis infelicissimis rumoribus regni sui, fuit animo mirabiliter perturbatus, & die noctuqve cogitabat, qvaliter Saracenis posset inferre gravamen. Unde multoties inducebat Abagan & Tartaros ad destructionem sectæ perfidi Mahumeti, & Christianorum subsidium & juvamen. Sed Abaga propter guerram, qvam habebat qvotidie cum vicinis, se sæpius excusabat. Rex Armeniæ verò perpendens, qvod non poterat ad præsens habere subsidium Tartarorum, misit suos nuncios ad Soldanum Ægypti, & treugas cum ipso inivit & firmavit; hoc faciens, ut de Saracenorum carceribus posset redimere natum suum. Unde Soldanus promisit regi, qvod si sibi redderet qvendam suum socium nomine Sangolascar, qvi captivus penes Tartaros tenebatur, & sibi restitueret castra civitatis Halappi, qvæ occupaverat tempore Haoloni, ipse filium restitueret pristinæ libertati. Soldanus itaqve restituit filium regis, & recepit socium suum, & Rex restituit Soldano castrum de Tempesack, & alia duo castra fecit dirui, ad reqvisitionem Soldani.

dani. Et hoc modo filius Armeniæ regis fuit de carceribus liberatus. Post hæc verò Rex Haithonus bonæ memoriæ, qvi XLV. annis regnum tenuerat, & multa bona fecerat Christianis, regnum & dominium suum contulit & concessit filio suo Dn. Tivono, de Ægypti carceribus liberato. Et ipse renuncians pompis hujus seculi, est religionem ingressus, & vocatus fuit Macarius, mutato proprio nomine, secundum consvetudinem Armeniorum, qvi qvando ingrediuntur religionem, mutari faciunt sibi nomen. Et post modicum temporis spatium Rex Haithonus reqvievit in pace anno Domini M. CC. LXX.

CAP. XXXIV.

De Abaga, qvaliter introivit Ægyptum, & destruxit Turqviam.

ILle autem Rex Armeniæ super nominatus fuit sapiens atqve prudens, & suum regnum providè gubernavit. Dilectus fuit valde tam à sua gente, qvam à Tartaris, & ex toto animo studuit destruere Saracenos. Unde suo tempore accidit, qvod Abaga pacem composuit cum vicinis suis, qvi longo tempore sibi fuerant inimici. Tunc verò temporis Soldanus Ægypti ingressus fuit regnum Turqviæ, & ibi multos Tartaros interfecit, & de pluribus villis fugavit eosdem, Nam qvidam Saracenus, qvi Parvana vocabatur, erat in regno Turqviæ capitaneus Tartarorum, & iste rebellis effectus contra Abagan, conabatur Tartaros omnes perdere & fugare: Abaga verò hoc audiens eqvitavit ita properè, qvod qvadraginta diætas in qvindecim dierum spatio peregerit. Soldanus Ægypti audiens adventum Tartarorum subito de regno Turqviæ recessit, nec fuit ausus ulterius expectare: non tamen potuit ita celeriter arripere iter suum, qvin Tartari, qvi velociter seqvebantur,

tur, attingerent exercitus sui finem, in introitu regni Ægypti in qvodam loco vocato Pasblanck. Irruentes itaqve Tartari in posteriori custodia exercitus, ceperunt duo millia eqvitum Saracenorum & divitias multas acqvisiverunt & ceperunt etiam qvinqve millia domos Cordinorum, qvi in illa regione degebant. Perveniente verò Abaga usqve ad confines terræ Ægyti consultum erat sibi, ne ultra progederetur propter æstum. Terra enim illa est calida ultra modum, & Tartari & eorum animalia, qvæ à longe venerant festinanter, non potuissent pondus ferre laboris & æstus. Unde Abaga rediit in Turqviam & fecit dissipari & destrui omnes terras, qvæ rebelles extiterant, & reddiderant se Soldano: Parvanam verò proditorem cum suis seqvacibus juxta morem Tartarorum per medium fecit scindi, & jussit, qvod in omnibus cibis, qvos erat comesturus, poneretur de carne illa Parvanæ proditoris, de qva comedit Abaga, & dedit suis proceribus comedendum. Et talem ultionem sumpsit de Parvana proditore Rex Abaga.

CAP. XXXV.

De Soldano Ægypti, mortuo per venenum.

POstqvam ergo Abaga de regno Turqviæ sua vota complevit & Tartari fuerunt repleti prædis & divitiis, qvas acqvisiverant contra rebelles Saracenos, vocavit ad se Regem Armeniæ & sibi obtulit regnum Turqviæ, eò qvod pater suus & ipse semper se gesserant fideliter erga dominium Tartarorum. Rex verò Armeniæ tanqvam sapiens & discretus de tanto dono obtulit Abagæ multas grates, & à retentione regni Turqviæ se curialiter excusavit, asserens se non posse sufficere ad duo regna commodè gubernanda. Nam Soldanus Ægypti erat in integro posse suo, & ad gravamen regni Armeniæ

toto

toto conamine intendebat. Qvare satis sibi facere videbatur, si ad defensionem regni Armeniæ poterat consilium adhibere. Consuluit tamen rex Armeniæ, ut Abaga de regno Turqviæ taliter ordinaret, anteqvam recederet, quod de rebellione nullatenus dubitaret, & nulli Saraceno daret dominium in Turqvia. Abaga qvidem acceptavit regis consilium, & nunqvam postea voluit, qvod Saraceni in illis terris dominium obtinerent. His itaqve completis rex Armeniæ reqvisivit & rogavit, qvod Abagâ vellet intendere ad liberationem terræ sanctæ, & ipsam eruendam de manibus paganorum. Hoc Abaga promisit facere toto posse, & consuluit, qvod rex nuncios suos mitteret ad Papam & ad alios dominos & principes Christianorum, pro subsidio terræ sanctæ. Abaga verò in regno Turqviæ ordinatis qvæ fuerant ordinanda, ad regnum Coroston, ubi familiam suam dimiserat est reversus. Benedeclar verò Soldanus Ægypti, qvum Tartari damnum sibi intulerunt, fuit veneno potatus, & subito obiit in Damasco: de qvo Christiani partium orientis fuerunt valde gavisi, & Saraceni cœperunt multipliciter contristari. Nam post mortem Soldani non habuerunt tam bonum Soldanum, ut Saraceni communiter asserebant. Qvidam verò filius suus Meleck sait nomine, successit in dominio: sed post modicum temporis spatium de dominio fuit expulsus, per qvendam, qvi vocatus fuit Ersi, qvi violenter dominium usurpavit & constituit se Soldanum.

CAP. XXXVI.

De Mangodanior duce Tartarorum, qvaliter aufugit de pugna propter timorem.

TErmino itaqve veniente, in qvo Abaga debuit & potuit gverram movere contra Soldanum Ægypti, ordinavit, qvòd Mangodanior, frater suus, ad regnum Syriæ, cum trigin-

triginta millibus Tartarorum se transferret, & si forte Soldanus veniret, belliger contra eum ipsum violenter debellaret, & si Soldanus vitaret prælium, occuparet terras & castra, & custodiendas traderet Christianis. Qvando Mangodanior itaqve per diætas suas processisset, qvousqve Armeniæ appropinquavit, tunc misit pro rege Armeniæ, qvi continuo venit cum pulchra equitum comitiva, & ingressi fuerunt regnum Syriæ, & iverunt totam provinciam devastando usque ad civitatem Hames, quæ Camella hodie appellatur à pluribus, & est sita in medio regni Syriæ, ut fertur. In facie verò illius civitatis est quædam planities valde pulchra, ibique Soldanus Ægypti congregabat posse suum, intendens cum Tartaris præliari. Saraceni itaque ex una parte, & Christiani cum Tartaris ex adverso ingens prælium iniverunt. Rex itaque Armeniæ cum Christianis ducebat & regebat exercitus dextrum cornu: unde ipse invasit sinistrum cornu exercitus Soldani; & fugavit inimicos usque ad civitatem Hames per tres diætas longas & ultra viriliter. Almach etiam quidam Tartarorum aliam partem exercitus Soldani viriliter debellavit, & per tres diætas Saracenos fugavit, quousque pervenit ad quandam civitatem, quæ vocatur Tara. Qvumqve crederent Soldani potentiam fuisse contritam, & ecce Mangodanior, qui nunqvam viderat discrimina præliorum, de qvibusdam Saracenis, Bedinnis lingua Arabica nominatis, absqve rationali causa timens retrocessit, campum victoriæ derelinqvens, dimisitqve regem Armeniæ, & alium ducem suum, qvi inimicos fuerant persequti. Qvando verò Soldanus, qvi omnia crediderat amisisse, vidit campum belli vacuum & totaliter derelictum, ascendit qvendam monticulum cum qvatuor armatis firmiter ibi stando. Rex verò Armeniæ rediens de conflictu, qvum non invenisset in campo Mangodanior, fuit plurimum stupefactus, cogitans viam, qvam gradi-

gradiebatur, post ipsum tenuit gressus suos. Almach verò prædictus, qvi persequtus fuerat Saracenos, qvos fugaverat, per biduum expectavit, sperans dominum suum Mangodanior post ipsum, sicut debuit, eqvitasse, ut inimicos & provinciam subjugaret, de qvibus fuerant victoriam conseqvuti. Cognita verò veritate de recessu Mangodanior, post ipsum ire festinavit, victoriam derelinqvens, & invenerunt Mangodanior super litore fluminis Euphratis expectantem. Post hæc Tartari ad eorum provinciam sunt reversi. Rex verò Armeniæ cum gente sua in illo itinere passus fuit multa incommoda & labores. Nam propter viarum longitudinem & penuriam pabulorum eqvi Christianorum regni Armeniæ fuerunt totaliter fatigati, qvod incedere non valebant: & sic separatim Christiani per devia incedentes, à Saracenis, qvi degebant in illis partibus, sæpius inveniebantur, & absqve misericordia cædebantur: unde major pars totius exercitus regni Armeniæ amissa fuerat, & proceres qvasi omnes. Et hoc infortunium Mangodanior accidit anno M.CC.LXXXII. Postqvam verò Abaga Can hæc omnia intellexit, congregavit undiqve gentem suam, & qvum jam esset paratus contra Saracenos procedere toto posse: & ecce qvidam filius diaboli Saracenus venit ad regem Persarum, & qvibusdam, qvi Abaga familiariter serviebant, contulit multa dona, & cum eis taliter ordinavit, qvod una die Abaga & fratri suo Mangodanior venenum mortiferum propinaretur, ex qvo ambo proh dolor, excesserunt è vita in octo dierum spatio. Per illos eosdem, qvi scelus istud perpetraverant, fuit primò comperta veritas hujus rei, & sic obiit Abaga Can anno Domini M. C. C. LXXXII.

CAP.

CAP. XXXVII.

De Tongodor secundo filio Haoloni, qui successit Abaga in regno.

POst obitum Abaga Can congregaverunt se Tartari, & constituerunt Dominum super eos qvendam fratrem Abaga, qvi Tangodor vocatur, & alios fratres suos præcesserat. In diebus qvidem juventutis suæ datum fuit sibi baptismatis Sacramentum, & vocatus fuit in baptismate Nicolaus. Sed postquam fuit ætate perfectus propter societatem Saracenorum, quam dilexerat, effectus fuit pessimus Saracenus, & renuncians fidei Christianæ Mahumet Can voluit se appellari, & toto conamine studuit facere, qvod omnes Tartari converterentur ad sectam iniqvitatis filii Mahumeti, & qvibus violentiam inferre forsitan non audebat, dona, gratias, honores conferebat. Tempore istius igitur Mahumeti Can conversi fuerunt ad fidem Saracenorum Tartari infiniti, sicut hodie evidenter apparet. Præcepit itaqve iste filius Diaboli Mahumeti, omnes ecclesias Christianorum diruí, & ne Christiani auderent amplius celebrare legem & dogmata Christi, faciebat publicè prædicari Mahumetem, & Christianos exules fecit. Iterum in civitate Taursiii fecit Christianorum ecclesias totaliter devastari. Misit etiam suos nuncios ad Soldanum Ægypti, & firmavit pacis & concordiæ secum fœdus, & promisit, qvod omnes Christianos, qvi in terris dominii sui erant, compellerentur ad Saracenos, aut capitibus privarentur. Unde Saraceni fuerunt magna exultatione repleti: Christiani verò tristes & timidi incedebant, nec eis aliud residebat, nisi Dei misericordiam invocare. Videbant enim persequtionem Christianorum majorem, qvam unqvam fuerat temporibus retroactis. Transmisit etiam prædictus Diabolus Mahumetes ad regem Armeniæ & ad regem Georgiæ, & ad alios Chri-

Christianos, ut ad ipsum accederent sine mora: sed Christiani cogitaverunt potius mori in prælio, qvam suis placere mandatis, qvia nesciebant aliud remedium invenire. Qvumqve fideles Christiani in tanta essent cordis amaritudine positi, qvod mori potius, qvam vivere affectabant: ecce Deus, qvi sperantes in se nullatenus derelinqvit, consolamen transmisit Christianis omnibus. Nam qvidam frater istius Mahumeti, & qvidam ejus nepos, nomine Argonus, fuerunt isti Mahumeto propter mala opera sua contrarii & rebelles, & significaverant Cobila Can, majori imperatori Tartarorum, qvaliter iste Mahumetus antecessorum suorum vestigiis derelictis, effectus fuerat pessimus Saracenus, Tartaros omnes, qvos poterat, inducendo, ut efficerentur etiam Saraceni. Qvo audito Cobila Can imperator fuit plurimum perturbatus. Unde Mahumeto præcipiendo mandavit, qvatenus corrigere se deberet, & à malis operibus abstinere, alioqvin procederet contra ipsum. Ipse qvidem Mahumetus mandato Imperatoris intellecto ira & indignatione fuit repletus: & qvia nullus erat, qvi auderet suis voluntatibus contraire, præter fratrem suum & prædictum nepotem suum Argonum, laboravit tantum diabolicus ille Mahumetus, qvod fecit interfici fratrem suum, & de nepote suo Argono intendens facere illud idem, ivit cum exercitu copioso, ut ipsum caperet & teneret. Argonus verò, qvi contra potentiam inimici non poterat belliger apparere, montes petiit, & in qvoddam castrum fortissimum introivit. Idem verò iniqvitatis filius Mahumetus dictum castrum obsedit, stans circumcirca cum suo exercitu infelici: Finaliter verò Argonus se reddidit Mahumeto cum pacis interjectis conditionibus, videlicet, qvod sibi suum dominium servaret. Postqvam Mahumetus Can tenuit Argonum, tradidit eum Conestabulo suo, & pluribus aliis magnatibus sub custodia concludendum. Et dum revertetur

retur ad civitatem Tauriſii, ubi dimiſerat filios & uxores, dedit omnibus in mandatis, qvod poſt ipſum incederent paulatim. Coneſtabulo verò & qvibusdam aliis, in qvibus præcipue confidebat, juſſit, qvatenus nepotem ſuum occiderent, & occultè ſibi caput afferrent. His itaqve taliter ordinatis, feſtinanter præcepit eis Mahumetus. Inter illos verò, qvi mandatum ſuſceperant tanti ſceleris adimplendi, inventus fuit qvidam potens vir, quem Abaga nutriverat, pater ipſius Argoni, qui pietate motus, armis ſuſceptis, Coneſtabulum Mahumeti, & omnes ſuos ſequaces nocte gladio jugulavit, & Argonum à mortis periculo liberavit, & conſtituit Argonum rectorem & dominum ſuper omnes. Unde alii timore, alii verò amore obedientes fuerunt ſuis beneplacitis & mandatis. His itaque ſic peractis, Argonus cum comitiva ſuorum fidelium fuit perſeqvutus celeriter Mahumetum, & antequam Tauriſium perveniret, perſonaliter cepit illum, quem captum juſſit per medium detruncari: & ſic fuit interfectus canis ille peſſimus Mahumetus inimicus fidei Chriſtianæ, anteqvam duorum annorum ſpatium in ſuo ſolio compleret.

CAP. XXXVIII.

De Argono filio Abaga, qvaliter fuit dominus Tartarorum poſt mortem Tangodor peſſimi Saraceni.

ANno Domini M. CC.LXXXV. poſt necem peſſimi Mahumeti Argonus filius Abaga Can primi imperatoris, noluit ſe vocari Can, qvousqve haberet à majori domino in mandatis. Et ſuper eo miſit Argonus ad magnum Can nuncios ſpeciales, qvos magnus Can Tartarorum benignè ſuſcepit, & honorificè tractavit, & de morte peſſimi Mahumeti fuit plurimum

rimum consolatus, & transmisit de majoribus domus suæ, & Argonum in dominio confirmavit. Et ex tunc Argonus fuit ab omnibus Can vocatus, & fuit ab omnibus honoratus. Iste verò Argonus fuit aspectu pulcherrimus & dominium suum tenuit viriliter & prudenter. Christianos dilexit, & ipsos plurimum honoravit. Ecclesias, qvas Mahumetus dirui fecerat, reparavit. Unde accesserunt ad eum Rex Armeniæ, & Rex Georgiæ, & alii Christiani partium orientis, & supplicaverunt ei, qvod consilium apponeret, & juvamen, ut terra sancta liberaretur de manibus paganorum. Argonus qvoqve benignè respondit, qvod libenter faceret qvicqvid posset ad honorē Dei & fidei Christianæ. Unde intendebat fœdus pacis componere cum vicinis, ut securius posset ire ad subsidium terræ sanctæ. Qvumqve Argonus in hoc bono proposito perseveraret, pacem qværens cum vicinis, ecce qvarto anno sui dominii transmigravit. Qvidam verò frater ejus, nomine Regayto, sibi succesſit: sed fuit homo nullius valoris, sicut inferius exprimetur.

Cap. XXXIX.

De Regayto successore Argoni.

Anno Domini M. CC. LXXXVIII, post obitum Argoni Can, frater, ejus Regayto nullam habebat legem vel fidem: ad arma erat penitus nihil valens: totus erat deditus luxuriæ & peccato, & in omnibus ducebat tanqvam brutum animal vitam suam, ventris ingluviem satiando superfluis potibus atqve cibis, per spatium sex annorum vixit in dominio: nihil aliud faciebat. Unde per suam miseriam suis fuit exosus, & ab extraneis extitit vilipensus. Finaliter fuit à suis proceribus suffocatus. Et post obitum suum factus fuit dominus quidam ejus consangvineus, nomine Baydo. Iste Baydo fuit in fide

Christi fidelis, rectus, & multas fecit gratias Christianis. Sed dies vitæ suæ subitò defecerunt, sicut inferius exprimetur,

CAP. XL.

De Baydo domino Tartarorum, & qualiter obierit.

ANno Domini M. C C. X C. post mortem Regayto, Baydo tenuit dominium Tartarorum. Iste Baydo tanqvam bonus Christianus reædificavit Ecclesias Christianorum, & præcepit, qvod nullus auderet dogmata Mahumeti inter Tartaros prædicare. Et qvia multiplicati erant valde illi, qvi sectam tenebant perfidi Mahumeti, molestè tulerunt mandatum Baydo, & ideo occultè miserunt nuncios ad Casanum, qvi fuit filius Argoni, & promiserunt sibi dare dominium, qvod Baydo tenebat, & ipsum constituere dominum super eos, si vellet renunciare fidei Christianæ. Casanus verò, qvi parum curabat de fide, & qvi dominium plurimum affectabat, promisit facere, qvicqvid vellent, & propter hoc Casanus fuit rebellis effectus. Baydo verò congregavit gentem suam, intendens Casanum capere & tenere. Proditionem enim, qvam gens sua sibi fecerat, ignorabat. Qvumqve ad campum belli venissent, ecce omnes illi, qvi sectæ adhæserant Mahumeti, relinqventes Baydo, fugerunt ad Casanum. Baydo qvoqve videns se ab omnibus derelictum, fugam arripuit, credens evadere: sed perseqventibus inimicis fugiendo interiit.

CAP. XLI.

De Casano filio Argoni, qvaliter dominium usurpaverit, & gestis ejus.

Post

POst mortem Baydo Casanus fuit factus dominus Tartarorum, initio sui dominii non audebat contraire his, quæ promiserat illis, qui eum in dominio posuerunt, qui Mahumeti sequebantur legem & sectam, & ideo austerum se ostendit nimium Christianis. Sed postquam in sede dominii firmus fuit, cœpit honorare & diligere Christianos: multa fecit in vita sua ad commodum Christianorum, sicut in sequentibus audietis. Et primò destruxit qvamplures magnates, qui svadebant ei, ut Saracenorum fidei adhæreret, & persequveretur undiqve Christianos. Post præcepit omnibus Tartaris, qvi in dominio suo erant, quod essent armis & omnibus necessariis præmuniti, qvoniam intendebat ingredi regnum Ægypti, & Soldanum destruere, si valerent. Et hoc mandavit Regi Armeniæ, & Regi Georgiæ, & aliis Christianis partium orientis. Verùm verno tempore adveniente, Casanus suum exercitum congregavit, & direxit gressus suos per viam de Baldach cum exercitu copioso. Qvando verò Casanus pervenit ad terras Ægypti, congregavit insimul gentem suam. Soldanus, qvi vocabatur Melecnaser, jamdudum de adventu Tartarorum rumoribus intellectis, congregavit posse suum, & venit ante civitatem Hames cum maximo apparatu, qvæ civitas est sita in medio regni Syriæ, ut refertur. Qvumqve Casanus intellexisset, qvod Soldanus contra ipsum intenderet præliari, ad obsidionem civitatis vel castri noluit perdere tempus suum, sed recto tramite celeriter venit ad locum, ubi erat Soldanus, & se posuit ex adversa parte per unam diætam in qvibusdam pratis, in qvibus erat abundantia pabulorum. Unde præcepit Casanus omnibus suis, qvod in illo campo essent, qvo usqve eqvi reqviescerent â labore, qvem passi fuerant in via celeriter veniendo. In societate verò Casani erat quidam Saracenus nomine Calphack, qui fuerat servus Soldani, & fugerat ad Casanum

sanum propter metum Soldani, qui propter excessus intendebat illum carceribus mancipare. Iste Calphack à Casano receperat gratias & honores, & Casanus de eo plurimum confidebat: sed tanqvam proditor maledictus per literas notificavit Soldano & Saracenis consilium & intentionem Casani, & misit qvaliter Casanus morari intendebat in pratis illis, ut daretur reqvies equis suis, qvi erant mirabiliter fatigati, & consuluit Soldano, qvod properaret ad pugnam, qvamdiu adversariorum eqvi erant fessi, qvia faciliter posset de Tartaris victoriam reportare. Soldanus Ægypti, qvi apud civitatem Hames Tartaros proposuerat expectare, acqvievit tamen consilio proditoris, & cum electa multitudine suorum eqvitavit festinanter, ut ex improviso insultum faceret in Casanum. Speculatores qvidem exercitui Casani notum fecerunt adventum Soldani. Casanus verò fecit edictum, ut omnes sui eqvitarent per acies ordinati, & viriliter reciperent inimicos. Casanus ergoleone audacior cum illis, qvos circa se invenit, eqvitavit obviam Saracenis, qui jam tantum appropinqvaverant, quod prælium non poterat evitari. Et cæteri, qui per campum erant dilatati, ut reqviem darent eqvis, non poterant ad ipsum accedere festinanter. Unde Casanus præcepit militibus, qui secum erant, de eqvis descendere, & de illis in circuitu facere velut murum & cum arcubus & sagittis impeterent inimicos, qvi laxatis habenis ad prælium properabant. Tartari verò descenderunt, & in circuitu ipsorum posuerunt eqvos suos, & acceptis in manibus arcubus & sagittis, expectaverunt qvousqve sagittæ possent ad inimicos commodè pervenire. Et sic omnes simul Tartari sagittantes, qvi in arte sagittandi mirabiliter sunt periti, eqvos inimicorum præcedentes taliter percusserunt, qvod ante alios ceciderunt. Unde illi, qvi seqvebantur, qvi cursu velocissimo properabant, invenientes præcedentes prostra-

ſtratos, præcipitabantur ſuper illos. Unde de multis Saracenis evaſerunt pauci, qvi non erant proſtrati, aut ſagittis Tartarorum letaliter vulnerati. Soldanus Ægypti, qvi in acie illa erat, qvam ocius potuit, retroceſſit. Caſanus hoc videns, ſtatim præcipit eqvos aſcendere gentem ſuam & invadere viriliter inimicos: & ipſe fuit primus, qvi Soldani aciem eſt ingreſſus, & tamdiu Soldanus cum modica ſocietate ſuorum bellum ſuſtinuit, proſtrando & occidendo ſtrenuè inimicos, qvoad Tartari muniti, & per acies ordinati venerunt ad pugnam. Tunc inceperunt omnes acies undiqve præliari, & dugravit altercatio inter eos ab ortu ſolis usqve ad nonam. Finaliter verò Soldanus non potuit reſiſtere audaciæ Caſani, qvi manu ſua mirabilia fecit, & ſic vertitur in fugam Soldanus cum omnibus Saracenis. Caſanus itaqve cum gente ſua perſeqvutus fuit usqve ad noctis caliginem inimicos diverſimodè occidendo. Unde tanta fuit ibi Saracenorum ſtrages, qvod tota terra diſperſa extitit corporibus mortuorum. Poſt conflictum nocte illa reqvievit Caſanus in qvodam loco, qvi vocatur Camentum, gaudens & exultans ineſtabiliter de triumpho, qvem contra Saracenos obtinuerat nutu Dei. Actum hoc anno Domini M. CCC. X. die Mercurii ante Feſtum Nativitatis Domini.

Cap. XLII.

De victoria, qvam habuit Caſanus contra Soldanum Ægypti, & qvaliter ſpolia diviſit inter ſocios.

His itaqve ſic peractis Caſanus præcepit Regi Armeniæ, & cuidam Duci Tartarorum, qvi vocabatur Molay, quod cum XL. millibus eqvitum Tartarorum perſeqverentur Soldanum usqve ad deſertum Ægypti, qvod diſtabat à campo belli

belli per duodecim diætas & ultra. Et præcepit, qvod apud civitatem Gacceræ ipſum expectarent, aut ejus mandatum. Rex igitur Armeniæ & Molay prædictus cum XL. millibus Tartarorum ante ſolis ortum recedentes, Soldanum fuerunt celeriter perſeqvuti. Poſt triduum verò Caſanus miſit ad Regem Armeniæ, qvod rediret, eo qvod intendebat obſidere civitatem Damaſci, & præcepit, qvòd Molay procederet, ſicut habuerat in mandatis, Saracenos omnes, qvos capere poterat, perimendo. Soldanus verò qvoqve fugit velociter diu noctuqve dromedarios eqvitando, & in ſocietate qvorundam Beduinorum, qvi eum conducebant, Babyloniam mirabiliter eſt ingreſſus. Alii vero Saraceni diverſimodè fugerunt, qvo qvilibet opinabatur ſe poſſe melius receptare: qvorum magna qvantitas perrexit per viam Tripolis, qvi per Chriſtianos habitantes in monte Libani fuerunt interfecti crudeliter. Redeunte ergo Rege Armeniæ ad Caſanum, invenit, qvod civitas Caſana dediderat ſe Caſano, & totum ærarium Soldani & exercitus ſui, qvod ibi erat, fuit ante Caſani præſentiam deportatum, cujus multitudo extitit infinita. Mirati fuerunt omnes ſuper eo, qvod Soldanus tantas divitias ſecum tulerat, dum intenderet præliari. Caſanus ergo congregatis omnibus illis divitiis, & omnibus ſpoliis, qvæ lucrati fuerant Tartari, poſt triumphum diviſit omnia liberaliter inter ſuos, ex qvibus omnes locupletes ſunt effecti. Ego verò Fr. Haithonus, qvi hanc hiſtoriam compilavi, interfui omnibus negotiis & præliis, qvæ Tartari habuerunt cum Soldano à tempore Haoloni; ſed nunqvam vidi vel audivi dici de aliqvo domino Tartarorum, qvi plura fecerat in duobus diebus, qvam fecit Caſanus. Nam prima die belli cum parva ſocietate ſuorum contra Soldanum & magnam copiam inimicorum prælium ſuſtinuit, & de perſona ſua taliter ſe probavit, qvod inter omnes alios bellatores famam & laudem

dem meritò est adeptus. Et de sua probitate inter Tartaros narrabitur in secula seculorum. Secunda verò die tanta erat libertas & liberalitas cordis sui, qvod de omnibus divitiis & infinitis thesauris, qvos acqvisiverat, sic inter suos distribuit & divisit, qvod in sua sorte non retinuit, nisi unum ensem, & qvoddam marsupium, in qvo erant scripturæ terræ Ægypti, & innumerus exercitus Soldani, & similia. Et omnia alia distribuit liberaliter, ut est dictum. Et hoc præcipuè erat admirandum, qvaliter in tantillo corpusculo tanta virtutum copia inveniri poterat. Nam inter XX. mille milites vix potuisset staturæ minoris aliqvis reperiri, neque turpioris aspectus: omnes tamen alios in probitate & virtutibus excedebat. Et qvia iste Casanus tempore nostro fuit, dignum est, qvod de suis gestis pleniùs enarremus. Et ille Soldanus, qvi per Casanum extitit debellatus, ad huc vivit. Præterea illi, qvi ad Saracenorum intendunt præcipitium, & gravamen inferre volunt, multa poterunt sumere documenta, his historiis pleniùs intellectis. Postqvam verò Casanus per qvinqve dierum spatium reqvievit, & inter suos divisit spolia innumerabilia, ut superius est expressum, per diætas suas iter suum direxit rectà ad civitatem Damasci. Qvumqve cives Damasci cognoverunt adventum, timuerunt valdè, ne si Casanus eos caperet violenter, absqve misericordia perderentur. Unde de consilio sapientum, & concordi omnium voluntate suos ad Casanum nuncios transmiserunt, qvi dederunt sibi multa dona, & ei claves civitatis etiam obtulerunt, ab eo misericordiam implorantes. Receptis ergo xeniis & clavibus civitatis Damasci præcepit Casanus nunciis, qvod redirent, & victualia sufficientia exercitui præpararent, & nullatenus dubitarent, qvia nolebat destruere civitatem, sed eam intendebat pro camera sua reservare. Recedentibus itaqve nunciis cum exultatione ingenti, Casanus post modicum

eqvitavit ad flumen Damaſci, in cujus litore tentoria ſua fixit, & inhibuit, ne inferrentur damna aliqva civitati. Cives verò Damaſci miſerunt plurima dona Caſano, & de victualibus dederunt exercitui affluenter, manſitqve ibi Caſanus per XLV. dies cum omnibus ſuis præter XL. millia Tartarorum, qvos miſerat cum Molay, qvi apud civitatem Gaccaræ morabantur, Caſani expectantes adventum vel mandatum.

CAP. XLIII.

De Capchik, qvaliter fuerit proditor erga Caſanum, & reſtituerit terras Soldano.

CUmqve Caſanus taliter moraretur, & daret ſe ſolatio & qvieti, ecce rumores venerunt de qvodam ſuo conſangvineo nomine Baydo, qvi ingreſſus fuerat in regnum Perſarum, damna Caſano plurima inferendo: & qvia dubitabat, ne deterius faceret, conſultum fuit Caſano, qvod ad propria remearet. His itaqve rumoribus intellectis, Caſanus præcepit majori Duci ſui exercitus, qvi vocabatur Cotuloſſa, qvod cum parte exercitus ad cuſtodiam regni Syriæ remaneret, & Molay ac aliis Tartaris, qvi erant in terra Gaccaræ, mandavit, qvod obedirent Cotuloſſæ, qvem dimiſerat loco ſui. Poſt hæc ordinavit Caſanus Balivos, & rectores ſuper qvalibet civitate, & tradidit civitatem Damaſci Capchik proditori ſuperius nominato. Nondum enim Caſanus cognoverat velle ſuum. Poſtea vocari fecit ad ſe regem Armeniæ, & ſuum ſibi reſeravit receſſum, dicens: Libenter tradidiſſemus terras, qvas acqviſivimus, cuſtodiendas Chriſtianis, ſi veniſſent: Et ſi venerint, Cotuloſſæ dabimus in mandatis, qvod eis reſtituat omnes terras, qvas hactenus tenuerunt, & ad reparationem caſtrorum det eis ſubſidium opportunum. His omnibus ſic completis, Caſanus arripuit iter ſuum tendens verſus Meſopotamiam: qvumqve ad

ad flumen Euphraten perveniſſet, mandavit Cotuloſſæ, ut dimiſſis Molay XX. millibus Tartaris, ad eum cum reſiduo exercitu accedere feſtinaret. Cotuloſſa qvidem fecit, ſicut receperat in mandatis. Unde Molay ſtetit in cuſtodia regni Syriæ pro Caſano: & ſvadente Capchik proditore Molay ſe transtulit verſus partes Hieroſolymitanas, in qvodam loco nominato Gaur, ut ibi pabula pro eqvis, & alia neceſſaria inveniret. Æſtivo verò tempore veniente Capchik prædictus, qvi erga Caſanum jamdudum conceperat falſitatem, occultè miſit ad Soldanum, qvòd redderet ſibi Damaſcum & alias terras, qvas Caſanus & Tartari occupaverant in regno Syriæ. Et Soldanus promiſit Capchik, qvòd, ſi ea, qvæ promiſerat, adimpleret, ſibi daret perpetuo dominium civitatis Damaſci, & de Theſauro ſuo etiam magnam partem, & ſororem ſuam ſibi traderet in uxorem. Et ita poſt modicum temporis ſpatium, Capchik rebellis effectus, fecit omnia caſtra Tartaris rebellare. Spes enim illorum erat æſtus æſtivi temporis, in qvo Tartari non poterant eqvitare, neqve ſuis ſubſidium impertire. Qvando Molay vidit, qvod omnes terræ rebelles factæ fuerunt, non fuit auſus ſtare cum tam modica gentium qvantitate. Unde per viam breviorem ſe transtulit ad regnum Meſopotamiæ, & notificavit Caſano omnia, qvæ in regno Syriæ evenerant ſeriatim. Caſanus verò tunc non potuit aliud facere per æſtum temporis. Sed veniente tempore hiemali ſuper litora fluminis Euphratis ſuum fecit maximum apparatum, & transmiſit Cotuloſſam cum XXX millibus eqvitibus Tartaris, & præcepit, qvòd qvando ad partes Antiochiæ perveniret, regem Armeniæ convocaret, & alios Chriſtianos partium Orientis & Cypri, & adjungeret eos ſibi. Et dum Caſanus, cum robore ſui exercitus ſeqveretur, in regnum Syriæ introiret. Prædictus itaqve Cotuloſſa fecit, ſicut habuit in mandatis. Acceptis itaqve XXX millibus

bus Tartarorum, per diætas ſuas perrexit qvousqve Antiochiam applicuit,& deinde miſit ad regem Armeniæ, qvòd veniret. Unde rex Armeniæ cum ſuo exercitu eqvitavit. Chriſtiani etiam,qvi erant in regno Cypri,de adventu Cotuloſſæ rumoribus intellectis, absqve moræ diſpendio cum galeis & aliis lignis pervenerunt ad inſulam Anteradenſem, & ibi fuerunt dominus Tyrenenn, frater regis Cypri, qvi erat militiæ dux & rector, & magiſtri domorum hoſpitalis & templi, cum conventibus fratrum ſuorum: & dum parati eſſent voluntaria Chriſti ſervitia adimplere, ecce rumor venit de qvadam infirmitate Caſani, à qva taliter vexabatur, qvòd de convaleſcentia Medici deſperabant. Unde Cotuloſſa cum ſuis Tartaris rediit ad Caſanum. Rex etiam reverſus fuit Armeniam: & alii Chriſtiani,qvi venerant ad inſulam Anteradenſem, redierunt in Cyprum. Et ob hanc cauſam inceptum terræ ſanctæ negotium fuit totaliter derelictum. Hoc accidit Anno Domini M. CCC.L.

CAP. XLIV.

De maximo damno, qvod habuerunt Tartari in planitie Damaſci propter aqvarum abundantiam.

ANno Domini M. CCC. LI. Caſanus congregato iterum exercitu copioſo cum magno apparatu, pervenit usqve d flumen Euphraten, intendens regnum Syriæ introire, & ſectam Mahumeti totaliter deſtruendo, terram ſanctam libere reſtituere Chriſtianis. Saraceni verò Caſani timentes adventum, & qvum in bello non confiderent ſe eſſe pares, totam terram eorum combuſſerunt ante faciem Tartarorum, ita qvod collectis frugibus, & aliis in terra creſcentibus, ac animalibus in caſtris & in munitionibus congregatis, reſiduum totum igni-

bus

bus devaſtarunt; ut qvum Tartari venirent, non invenirent victualia, neqve pabula pro jumentis. Qvando Caſanus intellexit ea, qvæ fecerant Agareni, & qvaliter diſſipaverant totam terram, cogitans, qvòd eqvi illis in terris taliter devaſtatis non poſſent ſuſtentari, accepit conſilium remanendi ſuper litora fluminis Euphratis illa hieme, & veris tempore veniente, dum herbæ inciperent pullulare, perficere iter ſuum. Majorem enim curam habebant Tartari de eqvis ſuis, qvàm de ſeipſis, qvia dum modico & vili cibo ſciant eſſe contenti, de ſeipſis qvodammodo non curabant. Tunc Caſanus miſit pro Rege Armeniæ: qvi ſine tarditate veniens, ſuper flumine ſe locavit. Et tanta fuit ibi gentis multitudo, qvòd exercitus Caſani per tres diætas extendebatur in longum, à qvodam videlicet caſtro, qvod vocatur Caccabe, usqve ad aliud caſtrum nominatum Labire: qvæ qvidem caſtra erant Saracenorum, ſed absqve inſultu aliqvo reddiderunt ſe Caſano. Qvumqve Caſanus taliter moraretur tempus congruum expectando, ut poſſet de Saracenis perficere vota ſua & terram ſanctam de ipſorum manibus liberare: Et ecce diabolus obſtaculum interjecit. Nam Baydo ſuperius nominatus, terras Caſani iterum introivit, & intulit damna multa, ſicut Caſano extitit enarratum. Unde conſultum fuit Caſano, qvòd ad propria remearet. Caſanus qvidem plurimum perturbatus, pro eo qvod tamdiu differebatur negotium terræ ſanctæ, juſſit Cotuloſſæ duci ſuo, qvòd cum XL. millibus Tartaris regnum Syriæ introiret, & civitatem Damaſci caperet, & omnes perderet Saracenos. Rex qvoqve Armeniæ cum gente ſua præfato duci Cotuloſſæ eſt aſſociatus. Caſano itaqve ad propria redeunte, Cotuloſſo cum XL. millibus Tartaris & Rex Armeniæ cum ſuo poſſe regnum Syriæ introiverunt, & omnia devaſtantes, qvousqve pervenerunt ad civitatem Hames, ibiqve crediderunt, ſicut aliàs fecerant

Ægyptii, exercitum invenire: sed certos intelligentes rumores de Soldano, qvòd esset in civitate Gaccaræ, inde nullatenus egressurus. Obsederunt ergo viriliter civitatem Hames, qvam post paucos dies violenter ceperunt, & indifferenter omnes Saracenos gladio peremerunt, ibiqve invenerunt divitiarum copiam, & magnam multitudinem armatorum. Deinde verò se transtulerunt ad civitatem Damasci, ut eandem qvoqve obsiderent, & ecce cives suos miserunt nuncios, supplicando, qvòd eis concederentur inducię triduanæ: qvas inducias habuerunt. Præcursores verò Tartarorum, qvi ferè per unam diætam transiverant jam Damascum, ceperunt qvosdam Saracenos, qvos transmiserunt ad Cotulossam, ut per eos inqvireret certa nova. Cotulossa ergo per illos Saracenos, rumoribus intellectis, qvòd ibi propè circa duas diætas erant mille ducenti eqvites Saracenorum, qvi adventum Soldani qvotidie expectabant: cum festinatione eqvitavit, ut ex improviso illos caperet & teneret. Et qvando Cotulossa & Rex Armeniæ pervenerunt ad locum, ubi erant mille ducenti eqvites Saracenorum, erat qvasi hora vespertina & paulò antè applicuerat is Soldanus. Cotulossa ergo & rex Armeniæ, qvi credebant occupare solos illos mille ducentos Saracenos, videntes se in sua opinione deceptos, steterunt, ut consilium caperent. Consultum itaqve fuit Cotulossæ, qvòd reqviesceret nocte illa, & inimicos in crastinum impugnaret, qvum dies jam ad vesperam declinasset. Cotulossa verò, qvi vilipendebat Soldanum & etiam gentem suam, noluit in hoc casu qviescere consilio alicujus, imò præcepit festinanter acies ordinari. Saraceni verò hoc videntes, steterunt, qvia à qvodam lacu & qvodam monte erant à duabus partibus præmuniti. Et scientes, qvòd Tartari absq; eorum discrimine ad eos accedere non valebant, noluerunt exire ad pugnam, sed ibi firmiter expectaverunt. Qvumqve Tartari

crede-

crederent absq; obstaculo invadendos Saracenos, & ecce qvendam ante se rivulum invenerunt, qvi in certis locis transitum non habebat. Unde tardaverunt Tartari multum, anteqvam possent transire rivulum supradictum. Sed postqvam Cotulossa & rex Armeniæ cum majori parte suorum rivulum transiverunt, in inimicos viriliter insultarunt. Soldanus stetit, nec de loco qvidem ubi erat inter lacum & montem, voluit se movere. Noctis verò caligine appropinqvante, dum videret Cotulossa Soldanum stantem, & nolentem ad pugnam egredi, ut sperabat, congregatis suis juxta montem, nocte illa qvievit. Veruntamen circa mille Tartarorum, qvi non potuerunt eo die rivulum pertransire, non fuerunt cum aliis nocte illa. Veniente verò die, ad pugnandum se Tartari paraverunt, & in Soldanum viriliter insultarunt. Sed Soldanus noluit in campum venire more bellatorum, sed stetit in illo tutiore loco, cum gente se qvantum poterat defendendo. Tartari verò conabantur extrahere Saracenos, sed nullo modo potuerunt. Durante verò insultu à mane usqve ad nonam, propter defectum aqvæ, quam non invenerant nocte illa nec die, tædio & siti nimium fatigati retrocesserunt, & dimisso Soldano recesserunt unus post alium paulatim per turmas & acies ordinati, qvousque pervenerunt ad planitiem Damasci, ibiqve invenerunt abundantiam magnam aqvæ, & pascua valdè bona, & ordinatum fuit ibi stare, qvousqve hominibus & eqvis daretur reqvies opportuna, ut postmodum melius possent redire ad prælium cum Soldano. Habitatores verò Damasci scientes, qvòd exercitus Tartarorum erat in illa planitie collocatus, qvadam nocte aqvas fluminis per qvosdam meatus & rivulos discurrere permiserunt, & anteqvam octo horæ noctis illius pertransissent, aqvæ in tantum creverunt ubiqve, qvòd Tartari coacti sunt surgere & recedere festinanter. Qvumqve nox illa esset multum tene-

tenebrosa, & fossata forent omnia plena aqvis, & nulli tramites apparerent, omnes fuerunt quasi confusi & multa animalia, arma, & arnesia amissa fuerunt in illa planitie propter aqvas, & etiam plures homines suffocati, & inter cæteros rex Armeniæ plura dicitur amisisse. Veniente verò die, per gratiam Dei aqvarum pericula evaserunt. Sed qvum arcus & pharetræ Tartarorum, cum qvibus præcipuè præliantur, ac alia arma ipsorum essent totaliter madefacta, qvòd illa non poterant exercere. Unde fuerunt totaliter stupefacti. Qvod si inimici eos persequti fuissent, nullus penitus evasisset: imò illos velut aves capere potuissent. Post hæc verò paulatim Tartari propter illos, qvi eqvos suos amiserant, incedentes ad litora fluminis Euphratis sunt reversi, nec aliqvis inimicorum ausus fuit illos seqvi, sive invadere quoqvo modo, qvandoqvidem pervenerunt ad flumen, qvod transire oportuit natando: & sicut meliùs fieri poterat super eqvis, dum flumen illud esset turbidum & inflatum propter abundantiam pluviarum, multi Armeni perierunt in illo, etiam Tartari & Georgiani, & multi eqvi fuerunt in flumine suffocati. Et sic accidit, qvòd non per potentiam inimicorum, sed casu & malo consilio tanqvam confusi ad propria redierunt. Hoc qvidem dicitur evenisse, eò qvod Cotulossa nolebat acqviescere consilio alicujus. Nam si sapientibus credidisset, illa potuisset pericula faciliter evitasse. Ego enim Fr. Haithonus hujus historiæ compilator præmissis omnibus præsens fui, & si fortè super hac materia loqvor prolixiùs, qvàm decet, mihi qvæso venia tribuatur. Nam hoc facio, ut in casu simili similia discrimina valeam reminisci. Rebus enim consultè actis, consveverunt fines laudabiles obtineri, & econtra, qvæ improvidè fiunt, optatis successibus sæpius carent. Postqvam itaqve rex Armeniæ flumen Euphraten pertransivit non sine damno suorum, decrevit ire ad Casanum, anteqvam ad regnum

gnum Armeniæ remearet. Unde recto tramite pervenit ad civitatem Ninive, in qva Casanus tunc residebat. Et Casanus Regem susscepit honorificè & benignè, & super amissionibus atqve damnis Regi plurimum est compassus. Unde eidem fecit gratiam specialem. Nam sibi concessit mille Tartaros, qvi suis expensis semper essent stantes in custodia regni sui. Et de regno Turqviæ præcepit Casanus certam qvantitatem pecuniæ Regi dare, de qva posset alios mille eqvites stipendiarios ad suum placitum retinere. Rex igitur accepta licentia, ad regnum Armeniæ est reversus, & Casanus ei injunxit, qvòd prudenter vigilaret circa custodiam regni sui, qvousqve ad subsidium Terræ sanctæ personaliter, dante Domino, posset ire.

CAP. XLV.

Qvaliter Casanus ante mortem suam Carbagandam suum fratrem, successorem in regno constituerit.

REx itaqve Armeniæ ad terram suam rediit; sed postqvam ibi applicuit, parum habuit de qviete. Post hæc verò, sicut Deo placuit, Casanus fuit qvadam gravi infirmitate detentus. Et qvia sapienter in vita sua egerat, voluit etiam ultimò commendari. Unde suum sapienter condidit testamentum & sibi instituit heredem & successorem Carbagandam fratrem suum. Postqvam ordinavit prudenter ea, qvæ erant ordinanda circa negotium regni sui & domus suæ, fecit pulchras constitutiones & leges, qvas suis dimisit in memoriam: qvæ qvidem à Tartaris firmiter observantur. Post hæc Casanus diem clausit extremum, & successit sibi in regno Carbaganda frater suus. Iste Carbaganda fuit filius cujusdam bonæ memoriæ dominæ, qvæ fuit vocata Erockcaton, qvæ fuit in fide Christi devotissima

& fidelis, & qvamdiu vixit, faciebat ſibi divina officia qvotidie celebrari, & tenebat Chriſtianum Presbyterum & ſacellum: unde iſte Carbaganda fuit baptiſatus, & nominatus in ſuo baptiſmate Nicolaus, & qvamdiu mater ejus vixit, in fide Chriſtianorum permanſit. Sed poſt obitum dominæ matris ſuæ dilexit ſocietatem Saracenorum. Unde fide Chriſtianorum relicta, adhæſit ſectæ perfidi Mahumeti. Rex verò Armeniæ de obitu Caſani fuit plurimum perturbatus. Nam per hoc inimici fuerunt in magna ſuperbia elevati. Unde accidit, qvòd Soldanus Regem habebat valde exoſum, & etiam gentem ſuam. Nam per totum illum annum, ferè menſe qvolibet, Soldanus Babyloniæ miſit magnam copiam armatorum, qvi totum regnum Armeniæ deprædabantur, & præcipuè planitiem circumdabant, damna multa ſæpius inferendo, & ſic nunqam ſcitur regnum Armeniæ tantam habuiſſe moleſtiam temporibus retroactis. Sed Deus omnipotens & miſericors, qvi ſperantes in ſe nullatenus derelinqvit, compaſſus eſt miſerabilibus Chriſtianis. Unde accidit menſe Julii, ut ſeptem millia Saracenorum de melioribus domibus Soldani, regnum Armeniæ fuerint ingreſſi, & iverint omnia devaſtando usqve ad civitatem Tarſenſem, in qva B. Paulus Apoſtolus natus fuit. Et qvum multa damna intuliſſent provinciæ, & redirent, ecce rex Armeniæ ſuis undiqvè congregatis, Saracenis deprædatoribus obviavit, & prope civitatem Ayatii bellum iniit cum eisdem. Sed nutu Dei potius qvàm bonitate noſtra, prædicti Saraceni fuerunt totaliter debellati, qvòd de illis ſeptem millibus Saracenorum non evaſerunt trecenti, qvi non eſſent capti, aut diro gladio interempti, licet ferocitate ſua crederent invadere totum regnum, & Chriſtianos regni Armeniæ in uno hiatu gutturis abſorbere poſſe. Et hoc actũ fuit qvadam die Dominica XVIII. menſis Julii. Poſt illum conflictum Saraceni non fuerunt auſi regnum Armeniæ introire: & miſit

misit Soldanus Ægypti, & treugas cum rege Armeniæ iniit & firmavit.

CAP. XLVI.

De distinctionibus hujus operis, & qualiter habuit originem.

EGo verò Fr. Haithonus interfui omnibus prælibatis, qvi dudum proposueram habitum sumere regularem, sed propter inconvenientia discrimina & ardua negotia regni Armeniæ, cum honore meo non poteram in tantis necessitatibus derelinqvere consangvineos & amicos. Unde postqvam Deus sua pietate mihi concessit gratiam dimittendi regnum Armeniæ, & populum Christianum, post multos labores meos in statu pacifico & qvieto: confestim votum, qvod diu voveram, volui adimplere. Accepta itaqve licentia à Domino Rege meo, & ab aliis consangvineis & amicis in campo illo, ubi Deus de inimicis triumphum concesserat Christianis, arripui iter meum, & perveniens in Cyprum, in monasterio Episcopæ Præmonstratensis ordinis succepi habitum regularem, ut, qvi in juventute mea militaveram mundo, in servitiis Dei residuum vitæ meæ, pompis hujus seculi relictis, consumerem, anno Domini M.CCCV. Gratias igitur ago Deo, qvoniam regnum Armeniæ hodiè est in statu æqvo, bono & pacifico reformatum; præcipuè per modernum regem, Dominum Livonum, filium qvondam Domini Theodori, qvi tanqvam indolis gloriosæ virtutibus illustratus, omnibus regentibus est speculum gratiosum. Et firmiter creditur & speratur, qvod in diebus istius regis juvenis, qvi bonitate suos antecessores præcellit, cum auxilio Dei regnum Armeniæ ad statum pristinum reducetur. Præterea hujus operis compilator ea, qvæ narrat & scribit in isto libro, tribus modis asserit se sciviſſe. Nam ab initio Changii Can, qvi fuit primus Impera-

tor Tartarorum, usqve ad Mango Can, qvi fuit qvartus imperator, narrat ea fideliter, qvæ in Tartarorum hiſtoriis continentur. A Mango Can verò usqve ad mortem Haoloni, ea, qvæ narrat & ſcribit, ſcivit & audivit per dominum avunculum ſuum, qvod dominum Haithonum regem Armeniæ reſcribere fecit, qvi præſens fuit illis temporibus, omnibus prænotatis, & cum magna diligentiâ narrabat hæc filiis & nepotibus, & faciebat redigi in ſcriptis, ut melius memoriter tenerent. Ab initio qvidem Abaga Can usqve ad finem tertiæ partis hujus libri, ubi finem capiunt hiſtoriæ Tartarorum, ſcivit ipſe tanqvam ille, qvi præſens fuit. Unde de his, qvæ ſuo tempore evenerunt, perhibet teſtimonium veritati. Et licet hucusqve narraverimus de hiſtoriis & geſtis Tartarorum, adhuc reſtat de ipſorum dominio & potentia, præcipuè qvi nunc vivunt, aliqvid reſerandum, ut melius cognoſcantur.

CAP. XLVII.

De Tamor Can, ſexto Imperatore Tartarorum, & de potentiâ ſua, & ſubjectorum ſuorum.

MAgnus itaqve Imperator Tartarorum, qvi nunc tenet imperium, vocatur Tamor Can, & eſt ſextus Tartarorum Imperator: ſedem Imperii ſui tenet in regno Cathay, in qvadam maxima civitate, qvæ vocatur Jons, qvam ædificari fecit Pater ſuus, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Potentia qvidem ejus eſt valde magna. Plus enim poſſet Imperator ſolus ille, qvàm omnes ſimul alii Principes Tartarorum. Gentes iſtius Imperatoris reputantur nobiliores & ditiores, & ſunt meliùs munitæ neceſſariis: qvoniam in regno Cathay, in qvo nunc degunt, divitiarum multarum abundantia maxima invenitur. Præter magnum Imperatorem ſunt alii tres magni Reges & Principes Tartarorum, qvorum unusqvisqve Dominium ma-

magnum tenet: obediunt tamen Imperatori, tanqvam eorum Domino naturali. Et qvæstiones, qvas inter se habent, ad Imperatoris curiam deferuntur, & per ejus judicium deciduntur. Primus qvidem istorum Regum vocatur Chapar: alter vocatur Hochtay: & alius Carbanda appellatur. Iste Chapar dominium suum tenet in regno Turqvestan, & magis appropinqvat genti Imperatoris, qvàm alii. Potest etiam, ut dicitur, ad pugnam congregare qvatuor centum millia eqvitum armatorum. Homines illi sunt audaces & strenui bellatores: non tamen habent eqvorum sive armorum abundantiam, sicut necessarium esset eis. Multoties gens Imperatoris movet istis guerram, & isti qvandoqve movent guerram contra Carbanda & gentem suam. Dominium istius Chapar antiqvitus fuit unius Domini per magnam partem, qvi Doay nomine appellabatur. Hochtay Rex Tartarorum dominium suum tenet in regno Cumaniæ, in qvadam civitate, qvæ vocatur Sara. Potest etiam, sicut dicitur, congregare ad pugnam sexcentum millia eqvitum bellatorum: isti non tantùm commendantur in facto armorum, sicut gentes Chapar, licet eqvos habeant meliores. Qvandoqve movent guerram contra gentem Carbanda: qvandoqve contra Ungaros, qvandoqve inter se rixantur. Præsens verò Hochtay dominium suum tenet pacificè & qvietè. Carbanda suum habet Dominium in regno Asiæ majoris, & moratur in civitate Tauristi. Ducere potest ad pugnam tercentum millia eqvitum bellatorum. Isti sunt à diversis partibus congregati. Divites sunt, & omnibus necessariis bene muniti. Chapar & Hochtay qvandoqve movent guerram contra prædictum Carbanda. Carbanda verò nulli guerram movet, nisi Soldano Ægypti, contra qvem sui antecessores sæpius pugnaverunt. Chapar & Hochtay libenter auferrent terram & dominium Carbandæ, si valerent; sed non possunt, licet potentiores eo sunt terris &

gentibus, ut dictum est. Et hæc est ratio, qvaliter Carbanda potest resistere tantæ potentiæ inimicorum, & defendere terram suam. Asia enim tota in duas partes est divisa. Una enim pars dicitur Asia profunda, & in illa parte habitat Imperator, & duo Reges superiùs nominati, Chapar videlicet & Hochtay. Alia verò pars vocatur Asia major, & in illa moratur Carbanda sæpe dictus. Tres viæ sunt solummodo, per qvas itur de profunda Asia ad Asiam majorem: una videlicet via, per qvam itur de regno Turqvestan ad regnum Persarum. Alia via est, qvæ dicitur Lederbent, qvæ via est prope mare, ubi Alexander construxit civitatem vocatam Portam ferri, sicut in historiis regni Cumaniæ plenius continetur. Alia via est per mare majus, qvæ transit per regnum Abcas. Per primam viam non possunt habere ingressum gentes Chapar ad terram Carbanda absqve magno discrimine & labore: qvia nulla pabula invenirentur pro eqvis usqve ad plures diætas: qvia terra illa est arida & deserta, & anteqvã possent pervenire ad terras cultas & habitatas, eqvi totaliter deficerent propter famem: aut essent ita fessi & viribus vacuati, qvod à parva qvantitate inimicorum faciliter possent debellari, & sic nolunt capere illud iter. Ex parte verò de Lederbent possent gentes Hochtay habere ingressum ad terras Carbandæ sex mensibus anni solummodo, videlicet tempore hiemali. Sed Abaga fecit fieri magna fossata, & alia munimenta in qvodam loco vocato Ciba: & ibi stat semper, præcipuè tempore hiemali, custodia armatorum, qvi defendunt transitum ab inimicis. Gentes verò Hochtay toties tentaverunt occultè transire per viam; sed non potuerunt vel possent aliqvâ ratione. Nam in qvadam planitie, qvæ vocatur Monga, stant in hieme qvædam aves magnitudinis fasianorum, qvæ pulcherrimas habent plumas, & vocantur Seyserach. Unde qvando aliqvæ gentes ingrediuntur illam planitiem, statim fugiunt

giunt

giunt illæ aves, & transeunt per illas custodias & tossata. Et illi, qvi sunt deputati ad custodiam illius loci, per illas aves manifestè cognoscunt inimicorum adventum, & ad defensionem continuò sunt parati. Per viam verò majoris maris nunqvam attentaverunt ire: qvia ibi est regnum Abcas, qvod est gentibus & terris bene munitum, & nullam possunt habere fiduciam in eisdem. Et hoc modo Carbanda, & sui antecessores usqve modò defenderunt se à tanta potentia vicinorum. Insuper aliqva dicemus breviter de modis & moribus Tartarorum.

Cap. XLVIII.

De fide, vita, moribus, conditionibus Tartarorum.

TArtari sunt ab aliis nationibus gentium, modis & moribus sic diversi, qvòd vix posset absqve tædio ipsorum diversitas explicari. Confitentur enim unum Deum esse immortalem, & invocant nomen Dei: aliter verò parum faciunt; qvia non jejunant, vel orationes sive afflictiones faciunt ob Dei reverentiam, sive alia bona opera. Nec Dei timore mala perpetrare prætermittunt Tartari. Homines interficere non reputant esse peccatum. Et si dimitterent frenum in eqvorum suorum ore, qvando pascere se deberent, Deum crederent mortaliter offendisse. Fornicationem & luxuriam non reputant esse peccatum. Plures uxores ducunt. Et oportet secundum consvetudinem, qvòd filius novercam suam ducat post obitum patris sui, & frater relictam fratris, & thorum faciunt cum eisdem. Tartari in facto armorum sunt strenui bellatores, & sunt obedientes eorum superiori plus, qvàm aliæ nationes: & in pugna omnes citò cognoscunt per signa & documenta voluntatem Ducis eorum.

Unde

Unde absqve magno labore Tartarorum exercitus ab illis, qvi præsident, gubernatur. Dominus Tartarorum nulla stipendia dat eis: imò oportet, qvod vivant de prædis & venationibus qvas acqvirunt. Et si vellet Dominus, posset ab iis auferre, qvicqvid haberent. Quando Tartari eqvitant, secum ducunt magnam copiam armentorum, & de lacte eqvorum pocula sumunt, & carnibus vescuntur, & illas reputant valde bonas. Tartari in eqvis sunt agiles, & sagittarii valde boni: pedites nesciunt incedere nisi pigrè. Tartari sunt sagaces & ingeniosi ad expugnandas civitates & castra, & semper volunt habere prærorogativam contra suos inimicos in pugna, nec verentur fugere, si fuga prosit. Hanc habent Tartari prærogativam in campo belli existentes: qvia si eis placuerit, præliabuntur: &, si voluerint prælium evitare, adversarii cum eis non poterunt dimicare. Pugna Tartarorum est valdè periculosa: qvia in uno conflictu Tartarorum moriuntur plures & vulnerantur, qvàm in uno magno prælio alterius nationis. Et hoc accidit propter sagittas, qvas jactant cum arcubus fortiter & directè. Et sunt in arte sagittandi ita periti, qvòd sagittæ eorũ ferè armorum omne penetrent genus. Qvando debellantur, fugiunt omnes simul per turmas & acies ordinati: & valde periculosum est illos seqvi: qvoniam retrogradè sagittas jaciunt fugiendo, & homines & eqvos vulnerant, & occidunt. Exercitus Tartarorum non est magnæ apparentiæ: qvia omnes simul congregati incedunt, ita qvod acies mille Tartarorum, qvingentorum apparentiam vix habeat. Tartari curialiter hospites suscipiunt, & cibum libenter dividunt cum eisdem; & volunt sibi per viam similem responderi, alioqvin accipiunt violenter. Tartari sciunt occupare alienas terras; sed ipsas nesciunt custodire. Tartari qvando sunt debiliores, efficiuntur humiles & benigni: & qvando sunt fortiores, sunt pessimi & superbi. Tartari nolunt, qvòd coram eis

aliqvis mentiatur, & ipsi libentissimè mentiuntur, in duobus tamen mentiri nesciunt, in facto armorum videlicet: qvia nullus erit ausus de probitate, qvam non fecerit, se jactare, aut negare, si fecerit utilitatem. Aliud est, qvod qvi scelus aliqvod fecerit, de qvo etiam debeat condemnari ad mortem, interrogatus à Domino, veritatem continuò confitetur. Et hæc de Tartaris dicta sufficiant: qvia longũ esset mores ipsorum per omnia enarrare.

Cap. XLIX.

De conditione, qvam habere debet bellum incepturus.

RAtio postulat & reqvirit, qvod, qvicunqve contra suos inimicos guerram movere intendit, debeat qvatuor prævidere. Primò, qvòd justam causam habeat guerram cum suis adversariis inchoandi. Secundò, considerare debet posse suum, utrum sufficiat in expensis & aliis necessariis ad guerram manu tenendam, & ipsam sine debito terminandam. Tertiò, investigare debet sapienter inimicorum intentionem, & statum. Qvartò, guerram debet inchoare tempore competenti. Ego verò Fr. Haithonus, qvi ex mandato summi Pontificis sum de hac materia locuturus, dicere possum, qvòd Christiani justam habent causam guerram movendi cum filiis Ismaëlis, qvoniam hæreditatem eorum obtinent occupatam, videlicet Terram sanctam, & sanctum sepulcrum Domini nostri Jesu Christi, in qvo fuit origo fidei Christianæ, & alia sancta loca Christianis plurimum reverenda. Insuper propter atroces injurias & nimium horrenda opprobria, qvæ cum multa nostri sangvinis effusione Agareni intulerunt Christianis, temporibus retro actis, & etiam propter alias rationes & causas varias & diversas. De potentia verò dico, qvoniam nemo debet penitus ignorare,

qvin ſacroſancta Romana Eccleſia, qvæ totius orbis eſt domina & magiſtra, potentiam habet cum congregatione regum & principum Chriſtianorum, & fidelium cruci ſignatorum, terram ſanctam eruendi de ſervitute inimicorum fidei Chriſtianæ, qvi peccatis noſtris exigentibus illam detinent occupatam. De cognoſcendo verò ſtatu inimicorum, hocqve de tempore competenti, in qvo guerra debeat inchoari, oportet prolixius aliqva enarrare. Nam ſicut bonus medicus, ut ad convaleſcentiam ægrum perducat, cauſam debet ægritudinis perſcrutari: ita decet providum bellatorem, inimicorum inveſtigare conditionem & ſtatum, ut guerram poſſit incipere providè & audacter, & illi finem laudabilem imponere. Sapienti enim & ſtrenuo duci nihil debet eſſe occultatum de potentiâ inimici: qvoniam præviſa non lædunt, & improviſa conſveverunt ſæpius animos perturbare; præcipuè in bellorum diſcrimine, ubi loci vel temporis ſpatium non habetur periculis occurrere tam paratis. In omni enim opere poteſt correctionis medela faciliùs adhiberi, qvàm in pugna, in qva pœna errorem continuò ſeqvitur. Ut igitur de his, qvæ dicturi ſumus, ſuper paſſagio terræ ſanctæ, clarior intelligentia adhibeatur, aliqva narrabimus de ſtatu & conditione terræ Ægypti, de exercitu Babyloniæ, & potentiâ inimici.

CAP. L.

De conditione regni Ægypti, & Soldani potentia.

SOldanus ille, qvi regnorum Ægypti & Syriæ hodie obtinet principatum, vocatur Melecnaſer, & de natione Cumanorum extitit oriundus. Milites ſui exercitus ſunt de diverſis partibus & nationibus congregati: qvia habitatores illarum partium in facto armorum nihil penitus ſunt valentes. Unde opor-

oportet, qvòd de alienis gentibus ejus potentia roboretur. Potentia qvidem Soldani peditum armatorum est modica: eqvitum verò est plurimùm copiosa. Major pars exercitûs Ægypti sunt servi empti pretio, qvos mali Christiani sæpe portant cupiditate lucrandi; aut in præliis acqvisiti, qvos compellunt eorum sectæ & fidei adhærere. Et illi, qvi empti pretio pecuniæ extiterunt, chariores sunt & habentur, & plus aliis honorantur. Soldanus Ægypti semper est timidus & suspectus, ne gens sua in ejus præcipitium aliqva machinetur. Sunt enim illi servi talis naturæ, qvod semper aspirant ad dominium occupandum: & ob hanc causam plures Soldani gladio perierunt. Potentia exercitus Babyloniæ circa viginti millia potest esse eqvitum: ex qvibus sunt aliqvi in arte armorum periti & strenui bellatores. Major tamen pars illorum magni pretii non habetur. Qvando Soldanus eqvitat, & gens sua magna & multa arnesia secum trahunt, & onera camelorum, eqvos pro armis habent satis bonos, & eqvas satis agiles ad currendum. Non tamen possent ad magnos sufficere labores, & mularum & ronimorum copiam non habent. Exercitus Soldani est promptus ad servitia & paratus: qvia milites habitant omnes simul in civitate Chayri. Conditio verò ipsorum est talis, qvia unusqvisqve habet stipendia sua, de qvibus vivit, qvæ summâ centum & viginti florenos annuatim vix excedunt: & oportet tenere tres eqvos & unum camelum. Et si fortè Soldanus Ægypti extra regnum duceret gentem suam, aliqvid daret sibi, si vellet, de gratia speciali. Milites verò istos dat Soldanus ad regendos proceribus suis, qvos nominat Amuratos: & dat alteri centum, alii ducentos, plus vel minus, sicut ei placebit. Et qvantum ascendunt in summa stipendia militum, qvos concesserit Amurato, tantundem dabit Soldanus illi Amurato pro sua persona, & solvit sibi etiam stipendia militum, qvos tenebit. Unde illi, qvem

Soldanus voluerit ad magna promovere & honorare, dat sibi plures milites ad tenendum. Secundum verò ordinem prætaxatum, magna fit Soldano derogatio servitiorum & defectus: qvia Amurati emunt servos pretio pecuniæ, & ponunt illos ad stipendia, & in numero militum armatorum, aut ponunt ad servitia gentem parvi pretii, qvibus concedunt eqvos & arma, & pro suis stipendiis dant eis aliqvid, & residuum totum conservant. Unde in multis talibus pauci inveniuntur, qvi sint ad arma valentes.

CAP. LI.

De potentia Soldani in regno Syriæ.

POtentia verò Soldani in regno Syriæ circa qvinqve millia militum potest esse, qvi de terris & reditibus vivunt. Habet etiam Soldanus magnam copiam Beduinorum & Turqvorum, qvi sunt advenæ & forenses: de qvibus magnum habet juvamen; præcipuè ad obsidendum civitates & castra: qvia secum vadunt sola intentione aliqvid acqvirendi. Ad alia verò servitia non posset Soldanus illos trahere absqve stipendiis: & si fortè vellet illis violentiam inferre, ipsi recederent sine mora, Turqviniani videlicet ascenderent magnos montes, & desertum Arabiæ peterent Beduini. Aliqvos etiam habet Soldanus pedites sagittarios in terra de Malbek & circa monten Libani, & in terra Assasinorum, qvi etiam ad castra & civitates obsidendas servitia magna præstant. Sunt enim Christianæ fidei inimici, valde ingenioſi ad civitates capiendas & castra, qvas capere sciunt per machinas, arcus, balistas, ignes inextingvibiles, meatus subterraneos, & alia diversa genera insultandi.

CAP.

Cap. LII.

De regno Ægyptiorum, qvaliter de gente in gentem translatum est.

Imperator Græcorum consvevit terræ Ægypti dominium obtinere, & per duces & rectores terram illam regebat, qvi reditus colligebant, & Imperatori Constantinopolim transmittebant: & duravit dominium Græcorum usqve ad annos Domini D. CCIII. Ægyptii verò neqveuntes pati dominium Græcorum, à qvibus mirabiliter gravabantur, reddiderunt se Saracenis, & elegerunt Dominum super eos qvendam de progenie Mahumeti, qvem vocaverunt Caliph, & tenuerunt isti dominium Ægypti annis CCC. XLVII. Postea verò amiserunt dominium & Medi, qvi Cordini vulgariter appellantur, dominium occupaverunt, sicut clariùs inferiùs exprimetur. Anno Domini M. LIII, bonæ memoriæ Amanricus rex Hierosolymitanus, cum omnibus Christianis, qvos potuit congregare, ingressus fuit terram Ægypti, & plures acqvisivit civitates & villas. Caliphus verò videns, qvod non poterat resistere Christianis, misit nuncios ad Soldanum Halappi, implorans subsidium ab eodem. Unde Soldanus Halappi, qvi sectam seqvebatur Caliphi, misit ad subsidium Caliphi, qvendam suum ducem, qvi vocabatur Xaracon, cum magna copia armatorum, qvi tantum fecerunt, qvòd de regno Ægypti fugaverunt Christianos, & recuperaverunt terras, qvas occupaverant Christiani. Post hæc qvidem accidit, ut videret terram Ægypti divitiis opulentam, & Caliphi potentiam qvasi nullam: ideò ad illius terræ dominium aspiravit: unde cepit Caliphum personaliter, & illum carceri mancipavit, & regnum Ægypti invasit viriliter, & ipsum dominio suo subdidit, & constituit se Dominum & Soldanum. Iste Xaracon fuit de regno Medorum,

dorum, de natione Coraſminorum, & fuit de natione ſua primus Dominus in Ægypto. Poſt obitum verò Xaracon ſucceſſit ſibi in dominio qvidam filius ſuus nomine Soladinus, & tantum crevit potentia iſtius Soladini, ut ipſe regem Hieroſolymitanum & Chriſtianorum potentiam debellarit, & ceperit violenter ſanctam civitatem Hieroſolymitanam, & alias plures terras. Et poſt obitum iſtius Soladini fratres ſui & nepotes ſucceſſivè Ægypti dominium tenuerunt usqve ad tempus cujusdam Soldani, qvi vocatus fuit Melecſala. Iſte Melecſala dominabatur in Ægypto tempore illo, qvo Tartari ſubjugaverunt regnum Cumanorum. Et audiens qvaliter Tartari pro modico pretio vendebant Cumanos, qvos ceperant, miſit cum magna ſumma pecuniæ per mare mercatores, & fecit emi de junioribus Cumanis in maxima qvantitate, qvi fuerunt deportati in Ægyptum. Melecſala multum dilexit Cumanos, qvos emerat, & ipſos fecit cum magna diligentia enutriri, & in arte eqvitandi, ſagittandi, & arma tractandi illos inſtruxit, & magnã gerens fiduciam penes ſe ipſos detinuit, qvodammodo omnes alios elongando. Et eo tempore, qvo B. Ludovicus Rex Francorum bonæ memoriæ transfretavit, & Chriſtiani nominis amore fuit carceribus mancipatus, prænominati ſervi emptitii Cumani interfecerunt Melecſala eorum Dominum & Soldanum, & conſtituerunt eorum dominum qvendam ex ipſis nomine Turqvinianum. Et ob hanc cauſam Rex Franciæ & frater ſuus, qvi Saracenorum carceribus trudebantur, fuerunt redempti & facilius liberati. Et hoc modo cœperunt prædicti Cumani in Ægypto primitùs dominari, & vocatur iſta progenies Cumanorum in partibus Orientis Caphac. Poſt paucos verò dies qvidam alius ex prædictis Cumanis nomine Cathos, prædictum Turqvinianum gladio jugulavit, & fecit ſe Dominum & Soldanum: & vocatus fuit Melecmees. Et iſte Melec-

mees

mees debellavit Cuiboga, Capitaneum Tartarorum, qvos in custodia regni Syriæ dimiserat Haolonus. Qvumqve Melecmees ad Ægyptum rediret, qvidam alius Cumanus nomine Bendecar, & ipsum interfecit in via, & se constituit Dominum & Soldanum, & fecit se vocare Melecdaer. Iste fuit sagaciſſimus, & in facto armorum strenuus atqve audax. Et suo tempore multum crevit Saracenorum potentia in Ægypto, & in regno Syriæ, & multas occupavit civitates & castra, qvas Christiani tenebant. Et iste cepit nobiliſſimam civitatem Antiochiæ, anno Domini M. CC. LXVIII. Et postmodum regno Armeniæ intulit multa damna: Tempore verò istius Soldani Melecdaer, transtulit se ad partes Syriæ Rex Angliæ bonæ memoriæ, Dominus ** qvem Soldanus interficere cogitavit per qvendam Assasinum, qvi ipsum regem vulneravit gladio venenato; sed per Dei misericordiam, & per multos labores ad convalescentiam est deductus. Post hæc fuit idem Soldanus Melecdaer veneno potatus, obiitqve in Damasco. Post obitum verò Melecdaer factus fuit Soldanus filius suus Melecsayt; sed confestim qvidam alius Cumanus nomine Elsi dejecit ipsum de sede, & constituens seipsum Dominum & Soldanum, illum fugavit extra regnum Ægypti. Prædictus Soldanus Elsi civitatem Tripolitanam obsedit anno Domini M. CC. LXXXIX, & violenter occupavit eandem.

CAP. LIII.

De civitate Acon, qvaliter à Christianis sit amissa.

ANno verò seqventi prædictus Soldanus Elsi congregavit undiqve posse suum, & egressus fuit de Ægypto, intendens obsidere civitatem Acon. Et dum in qvodam amœno loco reqviesceret qvadam die, per qvendam servum suum, qvem toti-

totius exercitus ſui conſtituerat ducem & rectorem, fuit veneno potatus. Qvi dum crederet dominium uſurpare, fuit continuò per alios fruitatim cæſus, & factus fuit Soldanus filius Elſi, qvi vocatus fuit Melataſſeraff. Et ille fuit, qvi cepit nobilem civitatem Acon, Anno Domini M. CC. XCI. Poſtqvam verò prædictus Soldanus Melataſſeraff rediit in Ægyptum, & qvadam die iviſſet venatum, per qvendam ſervum ſuum fuit in nemore interfectus. Qvi dum crederet ſe futurum Soldanum, fuit ſtatim ab aliis detruncatus. Poſtea verò fecerunt Dominum ac Soldanum illum, qvi hodie eſt Soldanus, qvi vocatur Melecnaſer, qvi fuit frater Melataſſeraff ſuperiùs nominati. Et qvia iſte Melecnaſer erat valde juvenis, datus ſibi fuit bajulus & tutor qvidam nomine Gviboga, qvi fuit Tartarus natione, & fuerat ſervus emptitius patris ſui. Iſte Gviboga uſurpavit dominium, & Soldanum juvenem poſuit in qvodam caſtro Crac de Monreal, eidem faciens neceſſaria miniſtrari. Iſte Gviboga fecit ſe appellari Melecchadel. Tempore verò iſtius Gviboga fuit in regno Ægypti tanta rerum victualium caritudo, qvod omnes Saraceni fame defeciſſent & penuria, ſicut canes, niſi fortè aliqvi fuiſſent Chriſtiani, qvi eisdem multa victualia detulerant cupiditate lucrandi. Poſt hæc autem Gviboga prædictus, qvi fecerat ſe Soldanum, intellectis rumoribus de adventu Tartarorum, congregavit exercitum ſuum, & venit ad regnum Syriæ, ut terras à Tartaris tueretur. Iſte Gviboga honorabat & diligebat multum homines ſuæ nationis. Unde Cumani per invidiam ſibi dominium abſtulerunt, & fecerunt Soldanum qvendam ex ipſis nomine Lachim. Et iſte fecit ſe nominare Melecnaſer. Iſte Lachim noluit deſtruere Gviboga, qvi ejus extiterat ſocius & amicus: imò dedit ſibi dominium cujusdam terræ, qvæ vocatur Sarſac, & civitatem Hamac. Inhibuit tamen ſibi, ne ſtaret in regno Ægypti. Præfatus verò Soldanus

danus Lachim stetit in castro Cayri per triennium, nec fuit ausus inde exire præ timore suorum, nisi fortè qvadam die, qva descendit ad planitiem causa ludendi; & tunc eqvus ejus cecidit sub eo, & fractum crus ejus. Finaliter cum luderet ad ludum Scachorum, qvidam ex servis illius arripuit ensem Soldani, & percussit eum in capite & occidit: sed interfector fuit ab aliis continuò detruncatus. Posthæc fuerunt in magna discordia Saraceni de Soldano & Domino eligendo. Demum verò posuerunt in sede dominii Melecnaser juvenem superiùs nominatum, qvem Gviboga posuerat in castro montis regalis, ut superiùs est expressum. Et iste Melecnaser est ille Soldanus, qvem Casanus debellavit in campo, & qvi regnat hodie in Ægypto. Parcatur mihi, si prolixiùs qvam deceret, verbum tenui de Cumanis, qvi sunt servi empti & venditi, & de Soldanorum eorum natione, qvi sæpius inter se occiduntur. Nam hoc feci, ut clariùs demonstrarem, qvaliter non possunt stare longo tempore, qvi talem adversitatem incurrant: qvòd non possent egredi de Ægypto, nec ad partes alias cum exercitu se transferre.

Cap. LIV.

De situ & conditione regni Ægypti.

Regnum Ægypti est valde locuples & amœnum. Longitudo ejus per qvindecim diætas extenditur, & per tres solummodo latitudo. Istud regnum est qvasi insula à tribus partibus deserto & sabulo circumdatum, & ex alia parte habet mare Græciæ. Ex parte orientis vicinum est regno Syriæ, magis qvam alteri terræ: veruntamen inter unum regnum & aliud est iter octo dierum, semper per sabulum incedendo. Ex parte occidentis habet qvandam provinciam Barbariæ, qvæ vocatur Bartat: sed inter unam terram & aliam est desertum qvindecim diætarum. Ex parte verò meridiei est regnum Nubia-

norum: qvi ſunt Chriſtiani, & ſunt nigri ſicut pix, propter ſolis æſtum. Et inter unam terrã & aliam eſt deſertum Aranæ duodecim diætarum. In regno Ægypti ſunt qvinq; provinciæ. Prima & major nominatur Sayt: alia Demeſor: tertia Alexandria: qvarta Reſint. Et iſta qvidem eſt inſula, & fluminibus circumdata. Qvinta verò dicitur Damiata. Major civitas regni Ægyti vocatur Chayre, & eſt valde magna civitas & divitiis repleta. Et ibi prope eſt qvædam alia antiqva civitas, qvæ vocatur Meſer. Et illæ duæ civitates ſitum habent ſupra litora fluminis, qvod labitur per medium Ægypti, qvod vocatur Nilus, & in Biblia Geon nominatur. Iſtud flumen eſt utilius flumen, qvod valeat reperiri. Irrigat enim omnes terras per qvas labitur, & illas facit fertiles & amœnas. Per iſtud flumen poteſt venire navigium, qvod valde eſt profundum. Abundantiam habet bonorum piſcium. Et poſſet per omnia commendari, niſi eſſet, qvod qvædam animalia reſident in eodem, qvæ ad ſimilitudinem ſunt draconis, & devorant eqvos & homines, & alia qvæcunqve animalia in flumine, ſi illa inveniant, & etiam ſuper ripam. Et iſta animalia Cocatrix vulgariter appellantur. Iſtud flumen ſemel creſcit in anno, & incipit creſcere à mediate menſis Auguſti, usqve ad feſtum B. Michaëlis, qvotidie augmentando: & qvando eſt in perfecto augmento, tunc homines primo dimittunt aqvas diſcurrere per meatus & rivulos ordinatos, & omnes terræ fructiferæ irrigantur. Et XL. diebus ſtat aqva ſupra faciem terræ: deinde incipit decreſcere & ſiccari, poſtea ſemina ſeminantur, & creſcunt ſolummodo per irrigationem fluminis: qvia in partibus illis non pluit, ita qvod vix hiems cognoſcitur ab æſtate. Inſuper habitatores terræ Ægypti poſuerunt qvandam columnam marmoream in medio fluminis ante civitatem Meſer: & in illa columna fecerunt ſigna. Et qvando flumen creſcit usqve ad perfectum augmentum, reſpiciunt illa ſigna columnæ. Et

ſi

si aqva creverit usqve ad summum signum, tunc sciunt se habere fructuum ubertatem. Si verò minus creverit, sciunt per illa signa, qvod contrarium debeat evenire, & secundum hoc pretia rerum imponunt. Aqva ipsius fluminis est sanissima ad bibendum. In regno Ægypti sunt duo portus maris, videlicet Alexandria & Damiata. Civitas Alexandriæ est bene munita, & circundata muris fortissimis. Aqvam verò, qvam bibunt cives Alexandriæ, venire faciunt de flumine Nili, per qvendam meatum subterraneum & occultum, & implent multas cisternas, qvas habent in civitate ordinatas. Aliam verò aqvam non habent, de qva possent bibere, præter illam. Unde si auferretur civibus illa aqva fluminis, non possent diutius permanere. Altera verò civitas Alexandriæ esset difficilis ad expugnandum violenter. Civitas Damiatæ sita est super flumine Nili, & antiqvitus fuit circumvallata circuitu murorum; sed capta fuit bis per Christianos: semel videlicet per Regem Hierosolymitanum, & alios Christianos partium orientis: & alia vice per B. Ludovicum regem Franciæ, pro cujus redemptione Saracenis fuit postmodum restituta. Unde diruerunt illam Saraceni, & transposuerunt illam longe à flumine & à mari, nec ibi fecerunt muros, sive alia munimenta. Et vocant terram illam novam Damiatam. Vetus verò Damiata est sine habitatione totaliter derelicta. De portubus verò Alexandriæ & Damiatæ, Soldanus recipit magnos reditus à mercatoribus, & aliis multis modis. Terra Ægypti dat omnium frugum & fructuum ubertatem, & optimam chacharam in maxima qvantitate: vinum modicum, tamen bonum, & odoriferum valde. Saraceni non audent vinum bibere; qvia eis inhibitum est lege. Carnes craſtinas, hœdinas, gallinaceas, & volatilia satis habent: modicum de bovinis, tamen camelos comedunt loco bovum. In regno Ægypti degunt simul cum Saracenis qvidam

Christiani, qvivocantur Rapti. Ritum tenent Jacobitarum, & multas habent in illis partibus Abbatias, qvas liberè tenent, & sine censu. Et illi sunt antiqviores habitatores terræ Ægypti. Nam Saraceni ibi habitare cœperunt, postqvam illius terræ dominium occupaverunt. Res verò qvæ deficiunt in Ægypto, qvibus maximè indigent Saraceni, nec alias habere possunt, nisi ab extraneis partibus deferantur. Sunt ligna, pix, ferrum, sclavi & servi empti, de qvibus eorum exercitus roboratur. Et oportet qvod prædictæ res deportentur per mare, & sine ipsis stare non possunt. In toto regno Ægypti non est civitas, neqve castrum, seu alia terra munita murorum ambitu, præter civitatem Alexandriæ, qvæ fortis est, & præter castrum Chayre, qvod posset absqve difficultate maxima expugnari. Et in illo castro Chayre commoratur Soldanus. Tota terra Ægypti per exercitum militum defenditur & tuetur. Prima igitur die qva exercitus Ægypti debellatus, & eqvitum potentia conqvassata, tota illa terra subjugaretur absqve resistentia alicujus.

CAP. LV.

De tempore competenti movendi bellum contra filios Ismael.

POstqvam rationabiliter ostendimus justam causam, qvam Christiani habent movendi gverram contra perfidos Saracenos, & sufficienter diximus de potentia sacræ Romanæ Ecclesiæ; tractavimus etiam de statu & conditione regnorum Ægypti & Syriæ, ac de posse Soldani & gentis suæ: ultimò restat aliqvid dicere de tempore competenti. Breviter dico ergo, qvoniam meritò possumus dicere verbum istud: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc tempus salutis. Nam nunc est verè acceptabile tempus impertiendi subsidium Terræ sanctæ, qvæ diutius jacuit à perfidis canibus lace-

lacerata. Nunc est acceptabile tempus, qvo corda fidelium debent succendi ad passagium Terræ sanctæ, ut de manibus inimicorum eruatur sanctum sepulcrum Domini, origo & fundamentum spei nostræ: nec recolimus habuisse tempus tam acceptabile, tamqve salubre, temporibus retro actis, sicut Deus omnipotens nunc per suam misericordiam multis indiciis demonstravit. Primò enim concessit nobis omnipotens & misericors Deus pastores, & patrem sanctissimum, qvi postqvam sedit in sede pontificatus, provisione divina, toto mentis affectu, diu noctuqve anxiè cogitavit, qvaliter Terræ sanctæ subsidium valeat impertiri, qvaliter sepulcrum Domini debeat liberari à servitute inimicorum blasphemantium nomen Christi. Unde firmiter est credendum, qvod Deus suos misericordes oculos convertendo, sibi in terris constituit summum videlicet Pontificem, sanctissimum patrem nostrum, cujus tempore acceptabili, divina favente clementia, sancta civitas Hierusalem sub jugo servitutis Mahumeti diutius jam detenta, procul dubio erepta, reducetur ad pristinam libertatem. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, qvo adeò firmiter demonstratur, qvod Terra sancta debeat liberari de potentia inimicorum. Nam per gratiam Jesu Christi omnes reges & principes Christiani, & respublicæ inter se sunt in statu pacifico & qvieto, nec aliqva procella odii vel scandali perturbantur, sicut olim fieri consvevit. Unde Deus omnipotens hoc nobis demonstrat, volens Terræ sanctæ misericorditer opitulari. Præterea omnes Christiani diversarum partium & regnorum, fide ac devotione accensi, parati sunt, tam humeris qvam cordibus figere crucis signum, & ad Terræ sanctæ subsidium transfretare, non parcendo laboribus, nec expensis, & pro nomine Jesu Christi exponere se & sua viriliter & fervenˉter. Ecce nunc tempus acceptabile, qvod Christianis à Domino demonstratur. Nam potentia inimicorum fidei Christianæ,

est ad præsens mirabiliter diminuta: tum propter gverras Tartarorum, cum qvibus nuper bellando passi fuerunt conflictum, in qvo Saracenorum innumerabilis cecidit multitudo qvæ nondum potuit restaurari. Tum propterea, qvod ille Soldanus, qvi regnat hodie in Ægypto, est homo nullius valoris, & nullius penitus bonitatis. Est etiam alius; qvia omnes principes & Soldani Saracenorum, qvi consveverunt impertiri subsidium & juvamen Soldano Ægypti tempore opportuno, totaliter defecerunt per potentiam Tartarorum, qvod non remansit nisi unus, qvi dicebatur Soldanus Meredini, cujus etiam posse & dominia redacta sunt sub servitute & potentia Tartarorum, & ipse personaliter est detentus. Unde his temporibus absqve magno discrimine & labore poterit recuperari Terra sancta, & acqviri regnum Syriæ & Ægypti, ac totaliter destrui ac confundi potentia inimicorum impiorum, facilius per gratiam Jesu Christi, qvam fieri potuisset multis temporibus jam elapsis. Ecce nunc tempus acceptabile, Christicolis à Domino demonstratum. Nam Tartari offerrent se paratos, Christianis dare subsidium & juvamen toto posse contra perfidos Saracenos. Et ob hanc causam rex Tartarorum Carbanda speciales nuncios destinavit, qvi fratris sui Casani vestigiis inhærendo, offert se exponere libentissime posse suum ad subversionem & totalem destructionem inimicorum nominis Jesu Christi. Et tempore qvidem isto, præcipuè cum auxilio Tartarorum, Terra sancta recuperari posset, & regnum Ægypti absqve magno discrimine faciliter subjugari. Deceret igitur Christianos dare subsidium Terræ sanctæ, & absqve tarditate. Nam mora ad se trahit magnum periculum & discrimen; videlicet, ne forte, qvod absit, Carbanda Christianorum amicus deficiat, & loco ejus resurgat pessimus inimicus, & qvi fortè adhæreret sectæ & fidei Mahumeti, & per conseqvens cum Saracenis unanimis deveniret. Et hoc

pos-

posset Christianis ad maximum gravamen & periculum redundare.

Cap. LVI.

De prosperitatibus & adversitatibus inimicorum fidei Christianæ.

AD honorem igitur Dei & Domini nostri Jesu Christi, de cujus misericordia meum spero supplere defectum, dico, qvod ad acqvirendam Terram sanctam cum minore periculo & labore, oportet qvod Christiani terram sanctam ingrediantur, & posse inimicorum invadant, eo tempore, qvo inimici vexari adversitate aliqva dignoscantur. Nam si prosperitatis inimicorum tempore Christiani hoc facere attentarent, non sine labore maximo & periculis possent perficere vota sua. Qvæ verò sit inimicorum fidei Christianæ adversitas, qvæ verò sit prosperitas, breviter enarrabo. In his qvidem consistit prosperitas eorundem, qvando videlicet inimici habent Dominum & Soldanum strenuum & sagacem, talem qvi cavere sciat & possit à fraudibus suæ gentis, & absqve pavore rebellionis & perditionis suum possit dominium regere & tenere. Item qvando inimici in reqvie, absqve gverrarum vexatione Tartarorum, vel aliorum longo tempore perstiterunt. Item, qvando in regnis Syriæ & Ægypti frugum fertilitas est abundans. Item, qvando per mare, & per terram, viæ securè patent, & in eis absqve contradictione cujusqvam res necessariæ abundanter ab extraneis partibus deferuntur. Item, qvando treugas habent cum Nubianis & Begvinis deserti Ægypti, nec ab eis modo aliqvo infestantur. Insuper qvando Turqviniani & Beduini, qvi degunt in regnis Syriæ & Ægypti, fideliter obediunt Saracenis. Ex his enim prosperitatibus in tantum inimico-

micorum potentia roboratur, qvòd non possent de facili subjugari. Sed è converso, adversitates possent inimicis accedere multis modis; qvando videlicet infideles suum perimunt dominium & Soldanum: & hoc sæpe & sæpius faciunt & fecerunt. Nam postqvam illa Cumanorum progenies cœpit dominari in Ægypto, sicut superiùs enarratur, novem fuerunt Soldani & Domini ordinati: & de novem eorum Dominis & Soldanis, qvi fuerunt in Ægypto, usqve ad præsens tempus, qvatuor fuerunt diro gladio interempti Turqviniani, Cotos, Melec, Asserat & Lachinus: & duo potati veneno mortifero, Benedeclar videlicet & Elsinus. Alii, Melecsayt & Gviboga viriliter exsultaverunt. Et iste Soldanus Melecnaser, qvi regnat hodie in Ægypto, extitit semel pulsus, & adhuc stat in suspendio vita sua, finem sui pessimum expectando. Item, alia inimicis potest adversitas evenire; videlicet qvando flumen Nili non crescit, ita qvòd terras Ægypti possit, ut convenit, irrigare: qvoniam tunc famem & penuriam patiuntur. Et hoc eis qvod accidit, non est diu. Fame enim & inopia tunc periissent Christianæ fidei inimici, & regnum Ægypti totaliter dereliqvissent, nisi forent cupidi Christiani, qvi eis portaverunt victualia abundanter. Tunc etiam propter defectum victualium milites Ægypti efficiuntur pauperes & mendici, & ipsos oporteret eqvos & arma vendere, & familias minuere propter famem, & sic non possent per consequens recedere de Ægypto. Milites enim Ægypti talis conditionis existunt, qvòd, qvando volunt egredi de regno Ægypti, & ad partes alias se transferre, oportet qvòd pro octo diætis omnia necessaria secũ ferant: qvia in itinere octo dierũ nihil penitus invenirent, qvum sit totum sabulum, qvod incedunt. Unde si militi deficiat unus eqvus vel camelus, non posset se à provincia elongare. Et ob hanc causam Soldanus Ægypti taliter impeditur, qvòd non pos-

sit

set ad regnum Syriæ se transferre. Item, qvando inimici diutius gverra aliqva vexarentur. Item, magna adversitas esset inimicis, & multipliciter tædiosa, si per mare eis viæ taliter artarentur, qvòd res, qvibus carent, & qvibus magis indigent ad sustentationem eorum exercitus non haberent; sicut ligna, pix, ferrum, servos emptos, de qvibus reficiunt eorum exercitum & augmentant, & alias res qvam plures, qvas habere non possent, nisi ab extraneis partibus portarentur, & sine illis staro diutius non valerent. Item, qvando Nubiani moverent inimicis gverram, vel etiam Beduini. Per hanc enim gverram potentia inimicorum posset taliter impediri, qvòd ad defendendum regnum Syriæ de Ægypto egredi non valerent. Item, qvando terra Syriæ deficeret in reditibus per in temperiem temporis, vel propter gverras Tartarorum, vel alio qvoqvo modo. Nam si in regno Syriæ deficerent victualia, ita qvòd exercitus Soldani copiam non haberet, non posset in regno Syriæ commorari. Nam ab Ægypto sive alia regione nullum potest ad regnum Syriæ deportari. Unde inimici non possent recedere de Ægypto. Qvandocunqve ergo inimici ab unaqvavis adversitatum prædictarum vexantur, sine dubio essent taliter impediti, qvòd ad defendendum regnum Syriæ, de Ægypto recedere non valerent. Unde Christiani regnum Hierosolymitanum faciliter occuparent, & possent civitates & castra diruta reædificare absqve contradictione cujuspiam, & interea se taliter præmunirent, qvòd potentiam inimicorum postmodum non timerent.

Cap. LVII.

De primo passagio Terræ sanctæ.

PRosperitatibus & adversitatibus inimicorum non sine causa rationali superiùs enarratis, de initio passagii effudi, jux-

ta meæ parvitatis notitiam devotè & fideliter aliqva explicabo, ad correctionem tamen veſtræ ſanctiſſ. ſanctitatis. Mihi ergo videretur pro majori ſecuritate & commodo paſſagii generalis, qvòd prius præmitterentur aliqvæ copiæ eqvitum & peditum armatorum, ad prætendendam & cognoſcendam potentiam inimici, cujus copiæ qvantitatem ſufficientem eſſe judico in præſenti mille eqvitum, decem galearum, & trium millium peditum armatorum: ſuper his etiam legatus á ſe de paſſagio mitteretur, & capitaneus ſtrenuus & fidelis, qvi ipſos omnes regerent & foverent, & feliciter cum eis, dante Domino, transfretarent juxta eorum diſcretionem, & providentiam, in inſulam Cypri, aut ad regnum Armeniæ applicarent: deinde abſqve moræ diſpendio ex parte legati, & capitanei ipſius armamenti, per conſilium & juvamen regis Armeniæ, nuncii mitterentur ad Carbanda Dominum Tartarorum: duo inter cætera reqvirendo, unum videlicet, qvòd per totam terram ſui dominii faceret inhiberi, ne mercationes ſeu victualia, ſive animalia ad inimicos portarentur. Aliud, qvod mittere vellet ſuorum militum qvantitatem in confines Meleti, qvi prope terras inimicorum figerent caſtra ſua, & terras Halappi ſæpius prædarentur, circumcirca qvotidie devaſtando. Noſtri qvoqve peregrini cum fidelibus regis Armeniæ atqve Cypri, Saracenis gverram moverent, & tam per terram qvam per mare, impugnarent viriliter inimicos, & præcipuè conarentur taliter maritima cuſtodire, qvòd inimicis nihil penitus portaretur. Poſſent inſuper noſtri Chriſtiani à noſtra inſula præmuniri: qvæ qvidem inſula in loco competenti & utili noſcitur eſſe ſita, pro commodo galearum. Exinde poſſent Chriſtiani inimicis inferre non modica detrimenta. Veruntamen modum incipiendi gverram, & terras inimicorum invadendi, ad præſens dicere prætermitto, qvoniam juxta inimicorum conditionem

&

& ſtatum oportet conſilium mutari, & operari con lio ſapientum, qvi præſentes his negotiis intererunt. Commoda verò, qvæ de iſto primo ſcilicet parvo paſſagio conſeqvi poterunt, dante Domino, Chriſtiani, inferiùs breviter deſcribentur.

CAP. LVIII.

De commodis primi Paſſagii.

PRimum igitur commodum eſſet iſtud, primum paſſagium poterit taliter ordinari, cum auxilio aliorum fidelium partium orientis, vel etiam Tartarorum, qvod nulla dabitur reqvies inimicis, & incurrere poterunt damna plurima, & etiam detrimenta. Nam ſi per Chriſtianos & Tartaros gverra moveatur Soldano Ægypti, per terram & mare, ut ſuperiùs eſt expreſſum, ad defenſionem terrarum ſuarum Soldanus compelleretur transmittere gentem ſuam, ut tam terras illas, qvæ mari ſunt propinqvæ, qvam alias, qvæ poſſent invadi, faciat cuſtodiri. Si ergo moveatur gverra per Chriſtianos & Tartaros in prædictis partibus Meleti, inde Babyloniæ usqve ad civitatem Halappi, qvæ diſtat per XXV. diætas, oportebit inimicos venire, ut terras tueantur, & Chriſtianis & Tartaris ſe opponant. Et illi, qvi pro iſto ſervitio transmittentur, poſt modicum temporis ſpatium erunt taliter fatigati, affecti tædio, eqvis & expenſis etiam denudati, qvòd nullatenus ibidem poterunt diutius commorari, multis rationibus atqve cauſis, qvas exprimere ſeriatim eſſet forſitan tædioſum. Unde redeuntibus primis ad propria, alii ad terræ cuſtodiam mitterentur: & in tribus vel qvatuor mutationibus ſic peractis, inimici prædarentur, vacuarentur expenſis, & damna incurrerent infinita. Per primum paſſagium inimici poſſunt plurimum infeſtari, videlicet qvòd, ſi cum armamento decem galearum paſſagii, & alias qvæ

armari poterunt in regnis Armeniæ atqve Cypri, terræ Saracenorum positæ prope mare viriliter invadantur, de facili poterunt devastari, & bonis omnibus spoliari, & Christiani cum galeis ad insulam Anteradensem possent sospites remeare. Unde oportet Soldanum de Babylonia cum toto suo posse ad regnum Syriæ se transferre, ut sufficientem habere posset copiam armatorum, per qvos daret subsidium omnibus terris, qvæ prope maris litora situm habent. Egressio qvidem Soldani de Ægypto, causa veniendi ad regnum Syriæ, eidem esset periculosa, & plurimum damnosa. Periculosa, propter dolum & proditionem suæ gentis. Tædiosa, qvia sæpius posset à fidelibus Christicolis infestari. Damnosa, qvia suum ærarium consumeret & vastaret. Vix enim crederetur, si dicerem summam thesauri qvam Soldanum & gentem suam oportet expendere, qvotiescunqve egreditur de Ægypto. Item per prædictas galeas portus inimicorum & omnes viæ maris poterunt taliter coartari, qvòd inimici non poterunt habere qvicqvam de rebus illis, præcipuè qvibus magis indigent, & sine qvibus diutius stare non possunt, sicut ferrum, ligna, pix, & servi empti, & alia, sine qvibus non possent eorum exercitum sustentare, nec ista habere possunt, nisi per mare ab extraneis partibus deferantur. Præterea inimici amitterent reditus portuum maris, qvi excedunt pecuniæ magnam summam. Item, si inimici adversitate aliqva turbarentur, per qvam impedirentur taliter, qvòd de regno Ægypti egredi non valerent, nec terris Syriæ præstare juvamen. Tunc enim Christianis primi passagii cum auxilio aliarum partium orientis sufficientes essent ad reædificandam civitatem Tripolis. Sunt enim in monte Libani Christiani degentes sagittarii, pedites valde boni circa XL. millia virorum, qvi libenter subsidium & juvamen impenderent peregrinis, qvi multoties fuerunt Soldano rebelles, & Saracenis

damna

damna plurima intulerunt. Et postqvam civitas Tripolis esset reædificata, Christiani possent illam defendere & tenere usqve ad adventum passagii generalis, & per conseqvens possent totum comitatum Tripolis occupare, & hoc cederet ad magnum commodum Christianorum generalis passagii: qvia invenirent ibi portum paratum, ubi possent commodè applicare. Item, si Tartari acqvirerent regnum Syriæ, & per conseqvens Terram sanctam, Christiani primi passagii invenirentur parati recipere civitates & castra, ut Tartaris eas munirent & tenerent. Nam ego qvi satis bene novi Tartarorum modum, credo firmiter, qvòd Tartari libenter terras, qvas acqvirerent, custodiendas & tenendas traderent Christianis liberè & qvietè, & absqve censu, seu aliqva servitute. Nam propter æstum in illis regionibus Tartari nullatenus habitarent. Unde gratum esset eis plurimum & acceptum, qvòd Christiani illas terras caperent & tenerent. Non enim præliantur Tartari cum Soldano Ægypti, ut terras occupent & acqvirant, qvum tota Asia eorum dominio sit subjecta: sed ideò qvod Soldanus semper eorum extitit inimicus, & plurima eis intulit gravamina; præcipuè qvando habuerunt gverram cum Tartaris convicinis. Unde ad omnia prædicta negotia inchoanda satis credo sufficere qvantitatem superius nominatam, videlicet millia eqvitum, decem galearum, & trium millium peditum bellatorum. Et videtur mihi qvod in his principiis plura non operarentur plures, etiamsi totidem adderentur, & expensas plurimum augmentarent. Præterea de isto primo passagio, alia duo commoda seqvi possunt. Nam postqvam peregrini primi passagii per spatium temporis stetissent in partibus Syrianis & vidissent conditionem provinciæ, & novissent potentiam inimici, & modum etiam præliandi, instruere possent consocios, venientes passagio generali. Item, posito qvod Tartari propter gverras,

qvas forsitan haberent cum Tartaris convicinis, non possent aut vellent Christianis subsidium impertiri, & qvòd Soldanus in sua prosperitate persisteret, & ita qvod laboriosum esset nimium eruere Terram sanctam de manibus paganorum. Reverenda S. V. conditione Terræ sanctæ plenius intellecta, visâ etiam & cognitâ potentiâ passagii generalis, posset melius discernere, qvid super his fieri expediret, utrum videlicet transfretare deberet passagium generale, an deceret tempus magis congruum expectare, & sic possent multa incumbentia discrimina evitari. Insuper si mihi venia tribuatur, audeo dicere duo verba, unum videlicet qvòd S. P. V. scribere dignaretur Regi Georgianorum, qvi sunt Christiani, & Terræ sanctæ peregrinationibus devotiores, qvàm aliæ nationes, mandantes qvòd peregrinis darent subsidium & juvamen: credo firmiter qvod ob reverentiam Domini nostri Jesu Christi, & vestræ etiam sanctitatis, libenter & devotè vestrum studerent adimplere mandatum. Sunt enim, ut diximus, devotissimi Christiani, & sunt potentes, & multi atqve strenui bellatores, & regno Armeniæ qvodammodo sunt vicini. Aliud, qvod S. P. V. dignaretur etiam scribere Regi Nubianorum, qvi per B. Thomam Apostolum ad fidem Christi in Æthiopiâ sunt conversi, mandantes, qvod Soldano Ægypti gverram movere debeant, & posse suum impediant & infestent. Credo etiam firmiter, qvòd illi Nubiani ob amorem Domini nostri Jesu Christi & ob reverentiam V. S. terram Ægypti Soldani invadere conabuntur, Soldano & genti suæ damna & impedimenta plurima inferendo. Et istæ literæ de mandato V. S. procedentes mandari poterunt regi Armeniæ, qvi ipsas faceret transferri eorum idiomate, & per bonos nuncios destinabit. Hucusqve devotissimè & fideliter reseravi ea, qvæ parva mea notitia sentiebat, super initio passagii & subsidii Terræ sanctæ. Nunc verò S. V. obedi-

obediendo mandatis ad generale passagium me converto, de his qvæ expediunt aliqva locuturus ad correctionem semper S.P.V.

Cap. LIX.

De passagio generali.

GEnerale passagium per tres vias potest arripere iter suum, per viam videlicet Barbariæ. Sed de ista via consulendum relinqvo iis, qvi statum & conditionem noverunt illius regionis. Item per viam Constantinopolitanam, per illam videlicet, qvam tenuit Dux Godefredus de Boliono, & alii illius terræ peregrini. Et per hanc viam passagium generale usqve ad civitatem Constantinopolitanam, securè, ut credimus, posset ire. Ulterius verò itur per Turqviam usqve ad regnum Armeniæ procedendo. Via illa non est libera, nec absqve discrimine peregrinis, propter Turqvos, qvi in partibus illis degunt. Posset tamen per Tartaros via illa securari & totaliter expediri. Possent insuper Tartari ordinare, ut peregrini de terra Turqviæ haberent copiam victualium & eqvorum, etiam pretii competentis. Alia verò via est per mare, qvæ est omnibus manifesta. Unde si per mare voluerint incedere peregrini, oportebit, qvòd in omnibus portubus ejus marinæ naves parentur, & alia bona ligna sufficientia ad passagiũ transportandum: & oportet, qvod in termino prætaxato & tempore competenti omnes peregrini congregentur ad littora maris, parati naves inscendere, & cum Dei adjutorio faciliter transfretare: in Cyprum enim poterunt applicare peregrini, ut tam ipsis qvam eorum eqvis in itinere plurimum fatigatis, reqvies tribuatur. Postqvam verò in Cyprum passagium incolume applicasset per Dei gratiam, & per dies aliqvos qvievisset, si primi passagii peregrini civitatem aliqvam firmavissent in partibus Syrianis, per viam ad illam

lam posset passagium se transferre. Et si forte primi passagii peregrini non firmassent ibi aliqvod munimentum, oportebit passagium per regnum Armeniæ arripere iter suum, hoc modo videlicet, qvod peregrini in regno Cypri cum eqvis suis pacificè reqviem sibi darent usqve ad festum B. Michaelis, ut infirmitas planitiei regni Armeniæ æstivo tempore evitetur. Post verò festum prædictum ad regnum Armeniæ securè poterunt se transferre, & ibi invenirent omnia necessaria affluenter. Veruntamen in civitate Tarsensi poterunt commodiùs permanere; qvia ibi est abundantia aqvarum & pabulorum; & tam de regno Turqviæ, cui vicina est, qvam de regno Armeniæ, eqvos, victualia & omnia necessaria habere poterunt abundanter. Post hæc autem veris tempore veniente, passagium poterit per terram dirigere gressus suos ad nobilem civitatem Antiochiæ, qvæ distat à regno Armeniæ solummodo per diætam: & navigium poterit per mare ad portum Antiochiæ applicare, ita qvòd exercitus terrestris maris navigio appropinqvabit. Obsessâ igitur civitate Antiochiæ, qvæ captivabitur faciliter, Deo dante, peregrini poterunt diebus pluribus reqviescere in eadem, & inimicorum terras undiqve deprædari, ac interea scire & cognoscere in eadem. Sunt præterea in ea regione Christiani sagittarii valde boni, qvi sine dubio ad exercitum Christianorum venirent, & multa possent passagio impertiri. Post hæc verò de Antiochiâ decedentes, peregrini poterunt incedere per litora maris versus civitatem Lyciæ, & illa via esset brevior & melior, & semper navigium exercitui appropinqvaret. Veruntamen prope castrum Margati in maris litore est qvidam transitus magnæ genti plurimum tædiosus: qvem qvidem transitum si non haberent, possent absqve discrimine Antiochiam remeare, & incedere per viam Fenick versus Cæsaream, per litora cujusdam fluminis ascendendo, qvod flumen

men Kenel vulgariter appellatur, & per illam viam invenirent aqvas & pascua & terras inimicorum abundantes frugibus, victualibus & aliis bonis, ex qvibus Christiani prædas caperent, & exercitui necessaria ministrarent, & sic possent per viam illam ire de Antiochia usqve ad civitatem Hamam, qvæ est civitas opulenta, & per potentiam passagii cum auxilio Dei faciliter caperetur. Et si fortè Soldanus se opponeret Christianis resistendo, ne caperent civitatem, tunc Christiani in illo loco magnam haberent prærogativam, si prælium iniretur. Et si per Dei gratiam peregrini possent debellare Soldanum, nullam postmodum resistentiam invenirent. Unde recto tramite possent ire ad civitatem Damasci, qvæ in cæteris conditionibus libenter se redderet Christianis. Nam postqvam cives Damasci scirent debellationem Soldani, resistendi audaciam non haberent: imò faverent in omnibus Christianis, sicut fecerunt Haolono & Casano, qvi Damasci dominium habuerunt absqve labore aliqvo post debellationem Soldani. Et postqvam Christiani occupassent Damascum, residuum regni faciliter obtinerent. Et si fortè Soldanus prælium evitando, non ausus contra Christianorum potentiam belliger apparere, Christiani recedentes inde ad Tripolim possint ire, & ibidem in qvatuor dierum spatio pervenirent ibiqve etiam possit navigium applicare. Unde posset Tripolitana civitas reparari, & magnam possent peregrini habere subsidium & juvamen per Christianos, qvi in monte Libano sunt degentes: & per hunc modum civitatem Tripolitanam acqvirerent & tenerent. Deinde possent regnum Hierosolymitanum occupare, cum auxilio Domini nostri Jesu Christi.

Cap. LX.

De societate Christianorum & Tartarorum.

DE ſocietate verò Chriſtianorum & Tartarorum videtur mihi, qvòd aliqva qvantitas Tartarorum, videlicet circa decem millia poſſent multa conferre commoda Chriſtianis per vias & itinera incedendo. Nam propter timorem Tartarorum Beduini neqve Turqviniani eſſent auſi Chriſtianorum exercitui appropinqvare. Præterea victualia & alia neceſſaria exercitui procurarent & vendenda de longinqvis partibus deferrent, & inde aliqvid lucrarentur. Item per Tartaros poſſet inveſtigari intentio & conditio inimicorum: qvia Tartari ſunt agiles ad currendum itinera, benè ſciunt, unde poſſunt ingredi & egredi ad eorum liberam voluntatem. Inſuper ad invadendum inimicos in campo, & ad inſultandum civitates, caſtra ſeu alia munimenta Tartari neceſſarii & utiles eſſe poſſent, qvia ad talia ſunt valde ingenioſi. Si verò Carbanda vel alius loco ſui ingrederetur Ægyptum cum magna multitudine Tartarorum, tunc eorum eſſet ſocietas evitanda. Nam Dominus Tartarorum non dignaretur ſeqvi voluntatem Chriſtianorum: imò vellet qvòd Chriſtiani ſuis parerent mandatis. Præterea Tartari ſunt omnes eqvites, & valde feſtinanter incedunt. Unde Chriſtianus exercitus eos ſeqvi non poſſet propter peditum comitivam. Inſuper Tartari habent talem modum, qvia qvando ſunt debiliores, mirabiliter ſe reddunt obſeqvioſos, humiles, & devotos: qvando verò ſunt fortiores, valde ſunt auſteri, tumidi & ſuperbi. Et non poſſent ſtare, qvoniam debilioribus injurias irrogarent: qvod qvidem Chriſtiani nullatenus paterentur. Unde poſſet per hoc materia ſcandali pullulare. Sed ſuper his poſſet tale remedium adhiberi, videlicet, qvod Tartari per viam Damaſci, ſicut conſveverunt, incederent, & per partes illas occuparent, & Chriſtiani ad regnum Hieroſolymitanum dirigerent greſſus ſuos. Et hoc modo inter Chriſtianos & Tartaros, concors amicitia per utrorumqve diſtantiam

tiam ſervaretur: & facilius per duos qvam per unum totaliter deſtrueretur potentia inimicorum fidei Chriſtianæ. Unum inſuper reducere audeo ad memoriam P. V. reverendiſſimæ, videlicet qvòd omnibus modis ſagaciter occultetur intentio & conſilium Chriſtianorum, ita qvod inimici ignorent Chriſtianorum propoſitum atqve velle. Nam qvod Chriſtiani noluerunt ſua conſilia præteritis temporibus occultare, multa dignoſcuntur incommoda incurriſſe: & econtra inimici propterea multa ſibi incumbẽtia pericula evitarent, auferendo Chriſtianis materiam adimplendi eorum vota diutius affectata. Et licet non valeat occultari fama paſſagii generalis, qvæ longè lateqve diffundetur per orbem, ad nullum tamen poteſt cedere commodum inimicis: qvia eis ab aliqvo dominio Saracenorum non poteſt præſtari ſubſidium qvoqvo modo. Et multis modis poterit evitari, ne Chriſtianorum voluntas vel propoſitum ad inimicorum notitiam deferatur, aliqva videlicet velle facere ſimulando. Illud verò qvod Tartari neqveunt ſua conſilia occultare, ad magnum incommodum ejus ceſſit. Nam Tartari talem modum obſervant, primâ qvidem lunâ Januarii conſilium capiunt ſuper his, qvæ intendunt facere anno futuro. Unde ſi intendant movere gverras Soldano Ægypti, ſcitur ab omnibus Saracenis, qvi continuò Soldano ſignificant ea, qvæ Tartari ordinant: & ipſe circa hoc conatur apponere remedia opportuna. Saraceni verò valdè benè faciunt, ſuum propoſitum occultando, & hoc ſæpius confert eis. Et hæc dicta ſufficiant de paſſagio Terræ ſanctæ.

Benevolo Lectori
Salutem.

Cum Haithoni Armeni Historia Orientalis denuo typis exprimenda videretur, exprimi sanè ea poterat ex editione Reineri Reineccii, quam superiore seculo ex comparatis inter se Moltheriana & Basileensi editionibus ille concinnavit. Verùm quia in repræsentando Marci Pauli Veneti textu editionem Basileensem secuti sumus, in textu item Haithoni Armeni repræsentando eandem editionem sequi voluimus. Quamvis enim in editione Basileensi nonnulla sint, quæ minus rectè sine dubio se habent, & non immeritò à Reineccio sunt immutata: sunt tamen rursus in eadem illa editione, quæ non mutanda, se potius servanda fuissent. Ut autem sciatur, quænam illæ sint, quibus editio Reineccii à Basileensi rectè, aut non absurdè, discrepare videri possit, en eorum hic elenchum subjungemus.

Pag.2.lin.23. in editione Reineccii additum *est*, legiturque *quod est in principio*. Pag.4.lin.4.pro *cerevisiam* eadem editio habet *cursiam*, & pro *congerunt* rectè omninò *conficiunt*. P. 5. l.11. post *ex parte* additum est *Orientis*. Et l.25. pro *mons* rectè habet *majus*. P.6.l.5. *Esmerliones*. P. 7. l. 15. pro *præfertur* rectè *fertur*. P. 8. l. 20. *Spachen* pro *Sachen*. P. 9. l. 3. rectè *Cordini* pro *Corduis*. P. 11. l. 3. *meatum*. Et l. 7. ante *nuncupabatur* rectè est *qui*. Lin 16. operæ typographicæ, auctore eo qui illis præfuit, edidere *contra permultos*. At ipsa editio Basileensis habet *contra permulti*, quod ad lectionem veram rectiùs nos ducit; legendum enim, ut ex editione Moltheri, credo, edidit Reineccius, *contra permunitos*; aut, ut infrà loquitur *præmuniti*. Pag. 12. l. 17. pro *aliqui* editio Reineccii rectè *quia sunt*. Pag.13.l.8. *fructibus* pro *fructus*. Et. 9. post *qui* additum *est*. Et l 18. habet *qui* ante *eorum*. Et ibidem pro *Cordinis* rectè *Cordini*. Pag.14.l.15. *Cæsarea*. Et l.20. *Ginapolis*. Pag. 17. l.2. abest *quum*. Et l.4. *verò*. Et l.29. *reddiderunt* pro *dediderunt*, stylo nostri non inconvenienter. Pag.18.l.11. abest *&*. Pag. 19. l. 6. rectè *tunc* pro *nunc*. Et l.9. *filios* pro *filias*. Et l.ult. *Abcas* pro *Abcar*. Pag. 21. l. 2. est *sunt* post *effecti*. Et l.6.legitur sic, *Quæ fuerunt ab aliis segregatæ, quæ nō-*

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [118] - -
PUBLIC DOMAIN

noluerunt se convertere. Pag.22.l.27. & ante *conceſſit.* Pag.25.l.10. *Carabe.* Pag. 26. l.2. *dominari* pro *nominari.* Et l. 25. *Changi.* Et l. 26. *Moglorum* pro *Moglorſi.* Pag. 27. l. 15. & 30. *Can* pro *Cham*: qvomodo & infra ſæpiſſime ipſa editio Baſileenſis. Et l. 29. abeſt *bis.* Pag. 28. l. 13. *millium.* Pag. 31. l. 21. abeſt *fertili.* Pag.36.l.10. *Gazariæ.* Et l.27. *Hochtay* pro *Tochay.* Pag.40.l.1. *obſervabunt*, pro *obſervent.* Et l.5. *liceat* pro *libeat.* Pag.41. l. 15: *Aſſaſſini*, ut antè & pòſt ipſa editio Baſil. Et l.17. *Sexmontium.* Pag. 43.l.6. *juſſit.* Et l. 24. rectè inſcriptio capitis hæc eſt, *De perſecutione ſacerdotum in lege Mahumeti.* Pag. 44. l.10. rectè inſcriptio ſic habet, *De Haolono, qvaliter cepit civitatem Halappi.* Pag. 45.l.15 inſcriptio capitis hæc eſt, *De Haolono, qvaliter cepit Soldanum Halappi & acqviſivit terram ſanctam usq; ad deſertum Ægypti.* Et l.20.rectè *Halappi* pro *Damaſci.* Pag. 46. l. 3. *ad principem* pro *per princ.* Et l.23.& 29. rectè *Tauriſio.* Pag. 47. l. 16. *Belfortis*, omiſſo *de.* Pag.48.l.7. & *Ægypti.* Et l.29. poſt *Abaga* rectè legitur *Can.* Pag.49. l.28. *Bendecar* pro *Benedeclar*, in infra in cap.53.ipſa qvoqve editio Baſileenſis habet. Pag.51. l. 14. *ſupra nominatus.* Et l. 23. *Abagam.* Pag. 52.l.5. abeſt rectè *domos.* Pag. 53.l.15. *Coraſen* rectè pro *Coroſten.* Et l. 16.rurſus *Bendecar.* Pag.54. l. 23. *Beduinis* recte pro *Bedinnis.* Pag. 56.l.17. *Mahumet.* Et l.20. *Tauriſii.* P.61.l.13. *valeret.* P. 64.l. 2. *Gacarę.* Et l. 27. *faceret* pro *fecerat.* Legendum autem videtur *fecerit.* P.68.l.13. *in Armeniam.* Et l. 16. *MCCCI.* rectè pro *MCCCL.* Et l. 21. *M.CCC.III.* pro *M.CCC.LI.* Et l.24. *liberam* pro *liberè.* P. 70. l. 19. *jam* pro *is.* P.76.l.8. *tenerentur* pro *tenerent.* P. 80. l. 16. *plures moriuntur Tartarorum.* P.81.l.4. *vilitatem* pro *utilitatem.* Sed legendum fortaſſe *inutilitatem*: ut hoc ſit pro fraude & damno. P. 83. l.18. *magnos ſufferre* pro *ad magnos ſufficere.* Et l.22. *in ſumma.* Et l.27. *nominant.* P.86.l.3. & 4. *Saladinus.* Et l.antepen. *Cothos* pro *Cathos.* P. 88. l. 4. & 6. *Melecaſſeraff* pro *Meladaſſeraff.* Et l. 16. *Monrael.* Et l.20. *nomine* pro *fuiſſent*: & *qvi* abeſt. P.89.l.5. *Scacorum.* P.94.l.6. *aliud.* P.96.l.10. *Aſſeraf* pro *Aſſerat.* Et l.11. *Bendecar*, ut ſupra. P.97. l. ult. abeſt *effudi.* Sed videtur pro hac ſubſtituenda rurſus aliæ fuiſſe qvæ rectiùs qvadraret. P. 103. l. 24. *aſcendere* pro *inſcendere.*

P. 105. l.12. *cum* pro *in.*

IN
HAITHONI ARMENI
HISTORIAM ORIENTALEM
INDEX.

A.

ABaga, Haoloni fil. & succeſſor, cap. 32. Soldanum Ægypti reprimit, & Turqvia vaſtat, cap. 34. auctoris coætaneus, c. 46
Abagarus (rex Edeſſæ. Abgarus ap. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. 1, 14) cap. 12
Abcar, c. 15. V. Abcas.
Abcas, pars Armeniæ majoris 10. & Georgiæ 15. ſita inter Aſiam profundam & majorem 47
Acon, civitas Chriſtianis à Soldano erepta 53
Adamantes, terræ Sym, an Cataja? 2
Ægyptus, 32. 53. 56
Agareni vino abſtinent 2. V. 15. 49
Alboris, mons Alaniæ, 10
Alemannia, 21
Alexander M. Miralis conditor, 9. ad Belgian venit, 16. & in Indiã, 6
Alexandria Ægypti, 54
Almach, Tartarus qvidam, 36
Alania, 10
Ames, 15
Amurati, Soldani proceres, 50
Antiochia, Syriæ provincia. 14
Antiochia, urbs illius provinciæ, 14. Saracenis dedita 15. capta à Soldano, 32. diſtat Armenia una diæta 59
Amanricus, rex Hieroſolym. 52
Angliæ rex expeditionem movet in Syriam, 52
Anteradenſis inſula, 43
Aqviſſa urbs ad Oceanum in confinibus Medorum, 8
Argonus, fil. Abagæ, 37. 38. 40
Artot, Dogriſſæ conſangvineus 15
Arath, mons Armeniæ 9
Arca Noæ ubi reſederit 9
Arabicæ literæ in Turqveſtan uſitatæ 3
Armenia major, 7. 8. ejus amplitudo, 9. Armenia ſecunda, 13. 14. aliàs Cilicia, 15. Ejus rex, 31. & regnum 57
Armeni in Meſopotamia 12
Aſia, profunda & major, 5. 47. Tartaris ſubjecta 16. 58. Aſiæ Imperator Coſſoraſſath 15
Aſtures, avium genus 5
Aſcarjoth, rex Perſiæ 15
Aſpaſalem, Imperator Turcarũ 15
Aſſaſſini 24. 51
Aſſyrii 15
Aſſerat, Turqvinianus 56

Aurum

Aurum, in insulis Indicis 6
Austriacus Ducatus 21
Aytonus, rex Armeniæ 23

B.

Babylonia 49
Baldac urbs 15.23
Balivi 43
Balais, gemmæ nomen 6
Balarem, provincia 6
Barachi, successor Jochi 22
Barnabas, Constantiæ in Cypro sepultus 15
Barbaria 54.59
Bartat, Provincia Barbariæ 54. dux Corasminorum 15
Beduini 36.51.56.60
Beguini 56
Belchiaroc, Persarum rex 15
Belfortis 30
Belgiam. Ejus desertum 1
Bendecar, Soldanus Ægypti 33.52. 55
Berytus urbs 14
Bithynia 13
Boctara, urbs 7
Briqvia regio 13
Bulgaria 21

C.

Cacabe, castrum 15
Caccabe, castrum 44
Cæsarea 13.59
Calphack, Saracenus qvidam 41.52
Caliphus 15.26.52
Camella urbs, olim Hames 36
Cametum 41
Cappadocia 13
Capar, Doaxi frater 20
Caphas 52. V. Capchik
Capchik 43
Carbanda, rex Asiæ majoris 47.55. 57.60
Carbaganda, Casani frater 45
Carnibus abstinent incolæ regni Tarsæ 2. vescuntur Turchæ 3
Casanus, fil. Argoni 40.41.45.59
Caspium mare 4.5.7.9
Cassia regnum 5
Castro 18
Cathay regnum ditissimum, maximum in orbe 1
Cathos, Cumanus qvidam, 52. Cotos 56
Cayrum, Soldani, 53. al. Chayre 54. Chayrum 50
Celan, insula 6
Cervisia Turcica 3
Chaldæi 8.11.15
Changius Can 16.46
Christiani in Tartaria, 2. India, 6. Mesopotamia 12
Cilicia 13.14.15
Cobila Can, 19.30.37. Christianus 19
Cocas, mons 5.9
Combaëct, urbs Indica 6
Comi, urbs Turcica 13
Conestabulus Armeniæ 23.37
Consedrack, nomen loci 18
Constantia, urbs Cypri 15
Constantinopolis 15.13.59
Corasen 15
Corasme 4.5
Corasmini 3.4.15

Cor-

Cordui 8
Cordini 12.34.52
Coroſii urbs 15
Coſſoraſſath, rex Perſarum 15
Cotuloſſa, Caſani Dux bellicus 43
Cras de Monreal, caſtrum qvoddã, 53. Craccus montis regalis 14
Cumania 21.32.45.47
Cumani 50.52.56
Cunat, gens Tartarica 16
Cyprus 13.46.57.59

D.

Damaſcus 14.15.44.59
Damiata, urbs Ægypti 54
Demeſor, prov. Ægypti 54.56
Deſertum Ægypti, 14.56. Arabiæ, 15.51. ad Boream Tarſæ, 2. Indiæ, 3.7.22. longitudine centum diætarum ad confinia Coraſmæ 4
Doax, Capari frater 20
Doay 57
Dogriſſa, Sadoci f. 15

E.

Elſi, Soldanus, 52.53. Elſinus 56
Epheſon, urbs 13
Eraclius, Imperator 15
Erockcaton, Carbagandæ mater 45
Etil, urbis nomen 5
Euphrates fluv. 14.15.44

F.

Fenik 59
Frumento abundat regnum Tarſæ 2. & Coraſme, 4. non adeò Turqveſtan 3

G.

Gaccara, terra 43
Gaczaria, eadem 21
Gaur, nomen loci 43
Geon, Nilus 54
Georgia, regnum 10.13.15.31
Georgiani 44
Ginapolis, urbs Paphlagoniæ 13
Gino Can 19
Gohayaday, fil. Hoccotæ 22
Graccus. Vid. Craccus
Græcia 13
Gverra pro bello 47.49. & al.
Gujatadin, Soldanus qvidam 18
Guiboga, Haoloni præfectus 30. 52.53.56

H.

Haithonus, auctor iſtius hiſtoriæ 33.42.46.49
Halap, urbs 15. Halappum 28.52.57. 58
Halay, urbs prov. Antiochiæ 14
Haloën, literæ Armenicæ 9.15
Hama, urbs 59
Haman, (urbs Hama) 15
Hames, urbs, al. Camella 36.41.44
Hamſen, prov. intra Georgiam 10
Haolonus, Mangonis frater 19.24. 25.31.52.59
Haran provincia 12
Henyalek, nomen loci in Palæſt. 31
Hermes Philoſophus & urbs in India 6
Hieroſolyma 14. eorum rex Amanricus 52. Hieroſolym. regnum 56

Hieru-

Hierusalem 11
Hoccota Can, Tartarorum Imp. 18
Hochday, rex Cumaniæ 47
Hordei parum in Turqvestan 3

I.

Jacobini, secta Christianorum in Turqvia, 13. Syria, 14. in Ægypto, 54. ubi Jacobitæ dicuntur.
Jalair, natio qvædam Tartarica 16
Jalaladinus, dux Corasminorũ 15
Janua, i.e. Genua 18
Jasak Changii Can 17
Idololatria Jogourorum, 2. Indorum, 6. Persarum, ignicolarum 7
Ignis à Persis cultus 7
Indiæ regnum, 2. Ejus tractus, 6. India major, 8
Insulæ, in litore Oceani ad Cathayam, 1. meridiem versus 16. Indicæ etiam dictæ 6
Jochi, Hoccotæ primogenitus, 20. frater Gohagaday 22
Jogour, incolæ regni Tarsæ 2
Jons, urbs Catajæ 19. 47
Ismaelis filii pro Saracenis 49. 55

K.

Kenel, flumen 59

L.

Lacte vivunt Turqvestani 3. Indi 6
Lachim, Soldanus Cumanensis 53
Lachinus, idem 56
Latini 1
Lederbent, via altera ex Asia minore in majorem 47
Libanus, mons 14. 42. 51. 58. 59
Ligonia, provincia 13
Lingva Persarum, 7. Maronitarum & Syrianorum Arabica 14
Joh. de Liminada 18
Lisson, mons Mesopotamiæ 12
Literæ I. Arabicæ, usitatæ Turqvestanis, 3. Maroninis, 14. Medis, 8. Mohammedanis in Chaldæa, 11. II. Armenicæ, 9. III. Cathaynorum, 1. IV. Chaldaicæ Nestorianorũ, 11. V. Græcæ, 13. VI. Haloën, 9. VII. Jogourorum, 2. VIII. Latinorum 1
Literis Tartari olim caruerunt 16
Livo, Rex Armeniæ 46. al. Livonus 33
Ludovicus, rex Franciæ 52. 54
Lycia 59

M.

Magi ad cunas Christi. V. Stella.
Mahumetum, pseudoprophetam, sequntur Turqvestani, 3. Persæ, 7. Medi 8. Chaldæi, 11. Caliphus de Baldack 23. 25
Mahumeti progenies, Caliphi 15
Mahumet Can, al. Tangodor 37
Malbeck, terra 51
Mango Can, 19. 29. 46
Mare, Cathay, 19. detenue 5. majus 5. 47. Græciæ 13. 45
Maraga, urbs 11
Marga, urbs 15
Margati, castrum 59
Margaritæ, Indicæ 6. Medicæ 8
Meatus subterranei 28
Medi, sunt Cordini 52
Media 7. 8. 9

Melataſſeraff, Soldanus Ægypti 53
Melecchadel, al. Guiboga 53
Melecdaer, Soldanus 52
Melecla, Imp. Turqvorum 15
Melecmees, Soldanus 52.56
Melecnaſer, Sold. Halappi 29.41.
50.53
Melecſait, Sold. 35.52.56
Melecſala, Sold. 52
Melet, terra 57.58
Meredin, locus 12
Meredin, urbs 55
Meſer, urbs Ægypti 54
Meſopotamia 12.14.15
Milio vivunt Turqveſtani, 3. Indi 6
Miralis, urbs 9
Moglos, commune olim Tartarorum nomen 16
Mogon, nomen loci 10
Molay, dux Tartarorum 42.43
Moneta Cathaynorum 1
Monga, loci nomen 47
Monghi, natio qvædam Tartar. 16
Moſel, urbs 12

N.

Natalia, urbs 13
Neſabor, urbs Perſiæ 7
Neſtoriani 11
Nicolaus, al. Tangodor 37.45
Nichor, urbs Bithyniæ 13
Ninive, urbs 11
Nilus fluv. al. Geon. 54
Nubiani 54.56.58

O.

Ocerra, urbs Turqveſt. 3
Oleum olivarum, cariſſimum in Cathay 1

P.

Palæſtina 14
Papagai Indici 6
Paphlagonia 13
Parvana, Saracenus qvidam 34
Paſſagii vox 15.55 57.58.59
Pasblanck, loci nomen 34
Perſæ 5.6.7.9.47
Phiſon fl. 7.15.20.24
Porta ferri, urbs 9.47
Poſſene, loci nomen 15

Q.

Qveremon, urbs Mediæ 8
Qviſitan, prov. Turcica 13

R.

Rapti, Chriſtiani qvidam in Ægypto 54
Regayto, Argoni ſucceſſor 39
Rhodus, inſula 15
Riſo vivunt Turqveſtani 3. Indi 6
Rohais, urbs 12.28
Roma 19
Rubini Indici 6
Ruſſia 32

S.

Sadoc, primus Turq. Dominus 15
Samara, urbs 14
Sangolaſcar, Armenus qvidam 33
Sanſon, mons Armeniæ 12
Sapphiri Indici 6
Sara, urbs 5.47
Saraceni, 7.8.12.15.56. al. filii Iſmaël, Agareni, Mahumeti ſectatores.

Savo-

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [124] - -
PUBLIC DOMAIN

Savoreus, rex Persarum 10
Sauria, prov. Turcica 13
Sayt, prov. Ægypti 54
Spachen, urbs 7
Sectæ Cathaynorum 1
Seleucia, urbs Sauriæ 13
Seonorgant, urbs Turqvest. 7
Serpentes Indici 6
Sem, prov. Syriæ 14
Sinibaldus, Conest. regni Armen. 23
Siniar, mons 12
Soldanus Ægypti, 47. 50. Babyloniæ, 44. Halappi 29. 41. 50. 53
Soladinus, Xaraconis fil. 52
Soliman, Turca qvid. 15
Solimansa, idem, ibid.
Soracet, urbs Mediæ 8
Stella Magorum, 2. 27. 30
Sym, prov. ditissima 2
Syria 14. 51. 54. 56
Syriani 12

T.

Tamor Can 47
Tangodor, Abagæ frater al. Nicolaus, & Mahumet Can 37
Tangot, natio qvæd. Tartarorũ 16
Tarsa, regnum 1. 2. 3
Tarsus, urbs 14. 45
Tartari 2. 16. 56. 60
Tatar, natio qvæd. Tartarica 16
Taurisium, urbs 9. 29. 30. 37. 47
Tabeth, natio qvæd. Tartarica 16
Templa Jogourorum 2
Terra sancta 44
Thomas Apostolus 6. 58
Tigris fluv. 11. 12
Tochay, Baydonis successor 21
Trapezonda 13
Treugæ 45
Tripolis 42. 52. 58. 59
Turci. 18. Turchæ, 3. Turchi 13
Turqvestan, 2. 3. 4. 7. 15. 20. 47
Turqvia 9. 13. 14. 34. 44. 59
Turqviniani 15. 51. 52. 56. 60
Tyrene, insula 43

V.

Veronica 12
Vino abstinent Agareni, 2. Jogouri, 2, carent Turqvestani, 3. ejus parum in Corasm. 4

X.

Xaracon, dux Soldani Halappi 52

GLOSSÆ

Qvæ in hoc Auctore reperiuntur.

Aburati, Soldani proceres c. 50
Astures avium genus 5
Balais, nomen gemmæ 6
Beduini, Saracenorum pars 36
Bonsacci, avium genus 5
Caliphus, Saracenorum Imperator è progenie Mahumeti 15
Cocatrix, animantis genus 54
Esmerliones, avium genus 5
Haloën, scriptura Armenica 9
Jasak Changii Can, Constitutiones Gingischani 17
Pigrim, falconum genus 5
Sayferach, avium genus, 47
Soldanus, rex, 13. 15. 45

INDEX CHRONOGRAPHICUS.

Anno Domini


632. Rex Persarum cæsus à Saracenis. cap. 15
1051. Turqviniani cœperunt dominari in Asia 15
1244. Tartari occupant Turqviam 18
1250. Amanricus, rex Hierosolym. urbes qvasdam Ægypti occupat 52
1253. Aytonus, rex Armeniæ Mangonem Canum in suas trahit partes 23
1268. Antiochia capta 52
1270. Aytonus rex Armeniæ obit 33
1282. Abaga Can obit. 36. Mangodanior fugit *ibid.*
1285. Argonus incipit regnare in Tartaria 38
1288. Regayto succedit Argono 39
1289. Soldanus Elsi occupat Tripolin 52
1290. Baydo succedit Regaytoni 40
1291. Acon capta 53
1310. Saraceni à Casano prostrati 41
1351. Vel, ut editio Reineccii; itemqve Italica Ramusii rectiùs habet, 1303. Casanus Syriam adoritur. 44

SPHALMATA TYPOGRAPHICA

PAgina 3. l. 26. post *ex parte occidentis cum regno* adde *Persarum*: *ex parte septentrionis cum regno*. Pag. 4. l. 9. *sive* pro *sine*. P. 5. l. 2. post *sit* adde *enim*. Et l. 16. *permanet* pro *promanet*. Et l. antep. *Caspio*. P. 7. l. 20 post *qbæcung* adde *volunt*. P. 11. l. 7. *nuncupabatur*. l. 16. *permulti*. P. 12. l. 17. *in Chaldæa*. P. 14 l. ult. *Trapezontis*. P. 15. l. 19. *Craccum*. Et l. 27. *rrtroactis* pro *retoctis*. P. 17. l. 27. dele *ut*. P. 20. l. 30 pro *ut* lege *qvod*. P. 21. l. 2. post *effecti* adde *sunt*. P. 22. l. 25. & 28. *Soliman* P. 23. l. 15. *passagium Godefridi*. P. 26. l. 18. *appellabatur*. P. 29 l. 15 post *viderunt* adde *a vem*. P. 30. l. 10 *notaretur*. l. 35. *qvam*. l. 36. *pertranfire*. P. 39. l. 14 *haberet* P. 40. l. 5. *molestiam*. l. 6. pro *&* lege *vel*. l. 17. *Sexmontius*. P. 42. l. 21. *postqbam* P. 43. l. 1 *Haolono*. l. 17. post *Caliphum* adde *in*. l. 22. *exstitit*. l. 27. *præcepit*. P. 44. l. 13. *ad civitatem*. P. 47. l. 4 pro *fecit* lege *fuit*. P. 51. l. 5. *Livono*. P. 56. l. 2. *Tangodor*. P. 57. l. 9. *significavverunt*. P. 66. l. 14. *dubitabatur*. P. 69. l. 28. *Cotuboffa*. P. 70. l. 24. *crastino*. P. 73 l. 1. *perrexit* pro *pervenit*. P. 90. l. 20. *medietate*. P. 91. l. 13. *Alexandria*. P. 92. l. 10. *sive* pro *neq.* P. 96 l. 3. *Dominum*. P. 97. l. 11. *totaliter*. P. 99. l. 12. *per mare*. P. 100. l. 26 *Christiani*. P. 103. l. ult. post *per* adde *brevem*. P. 104. l. 24. *recedentes*.

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [126] - -
PUBLIC DOMAIN


GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [127] - -
PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [128] - -


PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [129] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [130] - -

PUBLIC DOMAIN

GWLB Hannover 35
036 856 010

XXXVIII 18a
80

Ganz oben

GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [131] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [132] - -

PUBLIC DOMAIN



GOTTFRIED WILHELM LEIBNIZ BIBLIOTHEK
NIEDERSÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK

Signatur: Leibn. Marg. 60;Leibn. Marg. 60, Stück 2, [133] - -

PUBLIC DOMAIN